EUANGELIUM SECUNDUM LUCAM

SIVE

LUCAE AD THEOPHILUM LIBER PRIOR.

SECUNDUM FORMAM QUAE VIDETUR ROMANAM

EDIDIT

FRIDERICUS BLASS.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCXCVII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

VENERABILI THEOLOGORUM ORDINI

GRYPHISWALDENSI

OB THEOLOGIAE DOCTORIS DIGNITATEM

HONORIFICE IN SE COLLATAM

HUNC LIBELLUM GRATISSIMO ANIMO DEDICAT

EDITOR

PRAEFATIO.

§ 1. Postquam edidi Acta Apostolorum sive Lucae ad Theophilum librum alterum secundum formam quae videtur Romanam, necessario fere sequebatur ut etiam Euangelium secundum Lucam sive Lucae ad Theophilum librum priorem secundum eandem formam Romanam edere conarer. Nempe sicut Actorum, ita euangelii praeter vulgatam formam exstat altera, quam Romanam mihi recte nominare posse videor, ab eisdem vel consimilibus testibus tradita, neque minus cognitu digna quam Romana Actorum, etsi miro quodam modo ab ea toto habitu discrepat. Nam cum in illa, si vulgatam conferas, plena omnia esse videantur additamentorum, in hac paene non minus multa, quae vulgatae formae sunt, desiderabis, apparebitque eandem rationem intercedere inter Romanam euangelii et vulgatam eiusdem, quae est vulgatae Actorum cum eorundem Romana. Quam rem gravissimam sive ego prior intellexi sive (quod magis puto) doctissimus vir Eberhardus Nestle, certe utrique nostrum firmissimum est fundamentum, in quo reliqua omnia inniti debeant. Itaque cum uberior forma minusque castigata eadem pro antiquiore habenda sit, adstrictior vero magisque perpolita eadem pro recentiore, habebimus euangelii formam Antiochenam — sic enim vocare soleo — pro primo Lucae opere, quod excepit eiusdem Romana, tum eadem Actorum, denique eorundem Antiochena. Verum est in ea re magnus error sedulo vitandus. Credi potest Actorum Romanam ipsum archetypum scriptoris referre, quod cum secum Lucas retinuisset, postea Romanis ad describendum commodaverit: etsi si quis contendere velit ipsum denuo ex archetypo suo descripsisse, non habeo cur repugnem, habebo fortasse cur con-

cedam.[1]) At in euangelio nullus est dubitationi locus: periit archetypum, habemus emendata exempla duo, alterum statim confectum et Theophilo missum, alterum interiecto tempore ex eodem archetypo descriptum Romanisque donatum. Itaque etsi in universum prius exemplum fidelius ea servavit quae primitus scripta erant, mirari tamen non oportet quod interdum plenius atque integrius est recentius exemplum.

§ 2. Dixi tempore disiunctas inter se fuisse Antiochenam euangelii et Antiochenam Actorum, contra prope coniunctas Romanas horum librorum formas, ut putare possis eas pro uno opere bipertito quondam fuisse. Itaque prioris libri clausula initio alterius ita est in hac forma aptata, ut specie saltem nihil discrepet, deletis nempe eis euangelii verbis quibus aperte adscensionem Christi Lucas declaraverat (c. 24, 51 sq. *καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν* et *προσκυνήσαντες αὐτόν*); eam enim in Actorum principio deinceps erat narraturus. Videtur ille ab initio nihil praeter euangelium scribere voluisse, unde perduxit hoc ad iustum quendam finem; postea autem mutasse consilium, cum librum nactus esset qui ulterius res gestas persequeretur: quem librum aramaica lingua conscriptum fuisse Nestlio confisus et pridem dixi et nunc dico. Itaque iam et hunc in graecam linguam transtulit et Pauli gesta de suo adiunxit, initio usus novi libri ipso eo quod apud auctorem suum inveniebat; unde provenit adscensionis altera narratio, quam recte atque merito, cum esset tantopere plenior atque accuratior, noluit propter priorem suam omittere. Ceterum etiam secundum Antiochenam formam est quaedam utriusque libri congruentia, cum in repetitione rerum a qua incipit Actorum liber adscensionis mentio diserte contineatur, neque vero vel in hac forma vel in illa ea congruentia est, ut putandus sit Lucas ipse unum ex duobus opus facere voluisse. Sed Romae atque in occidente quondam hos libros unius instar operis habitos esse adulescens studiosissimus Ern. Lippelt

---

1) Ne quis me putet nimis cito sententiam mutare, afferam quae scripsi in ed. Act. priore p. 32: „Neque quicquam affirmo nisi hoc, formam *β* non minus esse genuinam quam *α*.“

insigni mihi argumento probavit. Videbamus in codice D Ἰωάνης nomen, quod est et in euangeliis omnibus et in Actis frequentissimum, modo uno *N* modo duobus scriptum exstare; non videbamus, quod acute vidit Lippelt, diversam esse in ea re rationem Lucae scriptorum atque reliquorum, quamquam in illo codice Acta non statim excipiunt euangelium, sed intercedit Marcus. Nempe apud Matthaeum est in D Ἰωάννης vicies quinquies, Ἰωάνης semel (c. 9, 14), apud Iohannem illud decies septies, hoc quater (5, 36. 10, 40. 41 bis), item apud Marcum illud vicies quater, bis hoc (1, 29. 6, 25); at apud Lucam Ἰωάννης semel (9, 7), Ἰωάνης vicies septies, pariterque in Actis bis illud (11, 16. 13, 5), vicies semel hoc. Fuit igitur antiquus quidam liber haec duo scripta complexus, unde ea in D vel eius archetypum non sine cura, ut apparet, translata sunt.

§ 3. Quod autem contraria obtinet ratio in euangelii forma Romana atque in Actorum, alteras si compares, id, opinor, mirari cito desinemus, cum egregie ea res concinat cum fatis scriptoris, quae ex Actis omnes novimus. Venit Hierosolyma Pauli comes, eiusdem comes Romam venit; hic Acta scripsit, illic euangelium scripserat; itaque necessario et huius forma Romana posterior est et illorum prior, contra Antiochena euangelii prior, posterior Actorum. Sed quoniam magna ea res est, quae ad originem et tanquam natales annos horum librorum indicandos firmandosque tantum valeat — scimus enim quam longe aberraverint theologorum multorum atque clarorum coniecturae —: videtur paullo diutius his rebus immorandum neque cito transcurrendum esse.

Itaque si quis dicat propterea rationem quam exposui accipiendam non esse, quod post eum annum quo Hierosolyma excisa sunt, id est annum 70, Lucam et euangelium et multo magis Acta scripsisse — si quidem Lucas scripserit — commemorato illo excidio declaretur: ei homini facile responsum paratum est. Si enim Christus non potuit rem futuram vaticinari neque eius vaticinium litteris ante eventum mandari, ne alius quidem quisquam potuit, neque vaticinium ullum ante eventum scriptum est. At sunt aliorum vaticinia ante eventum non modo litteris, sed

etiam typis mandata, neque ad obscuritatem antiquorum temporum nobis confugiendum est, sed ex ipsa hac luce recentiorum documenta petenda. Praedixit Hieronymus Savonarola Florentiae anno 1496 direptionem urbis Romae illam funestissimam, quae evenit anno 1527, neque sic nude praedixit, sed ausus est inter alia vaticinari fore ut equis militum barbarorum templa Romana pro stabulis essent: quod vaticinium fere post triginta annos quam typis mandatum est eventus comprobavit. Quam rem qui ignorant, discunto e libris qui in propatulo sunt[1]); quid autem inde sequatur, nemo est tam hebes quin videat. Maior utique Christus propheta quam Savonarola; huius autem vaticinium longe difficilius fuit quam illius; nam hostis Romanus praevideri poterat, exercitus Lutheranus non poterat. Neque est quicquam apud Lucam de imperatore Tito, neque de Maria illa quae puerum suum comedit, neque de factionibus Iudaeorum quae ipsum locum sacrum caedibus polluerunt, neque opinor verbis meis opus esse in re manifesta.

At, inquiunt, ne nos quidem negamus interdum vaticinia fieri quae postea eventus comprobet; concedimus Marci euangelium ante excisa Hierosolyma scriptum esse, fortasse etiam Matthaei, quamvis apud hos quoque Christus vaticinetur; sed in eo haeremus, quod apud Lucam omnia multo magis explicata atque distincta sunt. Scilicet ipsum Christum utique confuse obscureque vaticinatum esse putant (quod minime cadit in Savonarolam quem comparavi), aut certe eos qui vaticinia rettulerunt utique omnes confuse rettulisse, ut ad declaranda explicandaque opus fuerit eventu. Sibi haec sumunt, me quidem non concedente neque multum curante, quid eorum quisque, qui a Christo discipulisque illius et spatio MM annorum distant et tantopere suntillorum dissimiles, de dictis eorum factisque singulis opinetur. At videmus, aiunt, Marcum Matthaeumque confuse rettulisse. At videmus, inquam, Lucam distincte rettulisse; stat contra testes testis, neque numero illi vincere

---

1) Est de illo viro magnum et luculentum opus Pasqualis Villari, quod etiam in nostram linguam conversum est. V. praeterea Neue kirchliche Zeitschr. 1896, 964 sqq.

possunt, praesertim cum tantopere congruat illorum testimonium, ut appareat unus auctor. Sed eo fortasse vincunt, quod probabile est confusam relationem tempore priorem esse quam explicatam. Apud mendaces quidem et fabulatores, et confessus est nuper theologus quidam clarissimus, per multa lustra eam apud suos de his antiquissimis rerum Christianarum testibus opinionem valuisse, fabulatores eos fuisse et mendaces et falsarios. Adicit autem, apud vulgus nunc quoque eandem opinionem manere, sed theologos iam meliora edoctos esse. Cum veracibus igitur quoniam res est, quidni Lucae potius fidem habemus? Qui si theologus fuisset, facultas certe ei fuisset Christo falsa affingendi; sed minime fuit theologus; itaque et facultas et voluntas defuisse putanda est. Sed cum Marco auctore usus sit, inquient, tamen hoc loco ab auctore suo discedit. Propter alterum scilicet auctorem, facitque idem per haec ipsa capita plurimis locis; nos autem cum non negemus reliquis locis eum idonea auctoritate uti, num hoc uno negabimus? Marco et Matthaeo autem (qui dicitur) cur hac in re minus credendum sit, uno verbo indicare possum: Iudaei fuerunt. Non poterant hi Iudaei, etsi iam Christiani facti erant, quasi apertis oculis intueri quae vaticiniis his funestissimis monstrabantur; non poterant eorum sive auctoris eorum communis auditores sive lectores et ipsi Iudaei, quorum dolori utique parcendum fuit. Hinc igitur illa confusio atque obscuritas: explicate referre ne voluerunt quidem, si potuerunt, praeterquam quod ne tutum quidem erat in conventibus Christianis Iudaeae vaticinia futuram cladem aperte declarantia publice recitari. Atque illud ipsum, quod apud Matthaeum excidium urbis sacrae cum die novissimo videtur tempore prope coniunctum esse, habebat quoddam in se Iudaeorum animis magnum solacium.

At Paulum mihi, credo, denique opponent eiusdem opinionis testem disertissimum, Paulum Lucae magistrum. Credidit ille se ad diem reditus Christi superstitem futurum, fuit igitur in eadem opinione qua Matthaeus qui dicitur; probatur omnino haec opinio antiquissima Christianorum fuisse. Sentio vim argumenti, quae invicta foret, si Paulus in ea opinione speque perstitisset. Verum id secus est; certe non potest afferri ullum illius tale dictum

ex eis epistulis, quae post ultimum iter Hierosolymitanum scriptae sunt. Nescio num putandus sit sententiam mutasse, multo minus scio, num propter Lucam eiusque euangelium sententiam mutaverit; video tamen id ipsum et conici neque refelli posse. Certe in epistula ad Philippenses data (ut taceam de reliquis) plurima de se deque expectatione sua loquitur; liberatum se iri sperat, revisurum Philippenses, sed diem Christi se vivum atque superstitem visurum nusquam indicat, etsi est eius diei frequens memoria non minus in hac epistula quam in ceteris.

Itaque ne quis prave intellegat sententiam meam, haec sunt quae dico: scripsisse Lucam euangelium suum circiter XV annis ante eversam urbem sacram; probari id rationibus e vita scriptoris formisque diversis scriptorum petitis; non refutari vaticiniis. Pergo igitur explicare quae putem et exordii Lucani ope et ceterarum rerum de origine horum euangeliorum vel certo vel cum aliqua probabilitate inveniri posse.

§ 4. Lucas Antiochenus cum Pauli comes anno fere 54 post Chr. n. (secundum Eusebii rationes[1])) in Iudaeam atque Hierosolyma venit, non eandem rerum condicionem repperit quam septem vel octo annis ante sive Paulus sive Lucas cum Paulo sociisque aliis illius itineris repperat. Antea, si non omnes XII apostoli, at certe Petrus et Iohannes adfuerant; tum autem discesserant apostoli cuncti, regebat ecclesiam Iacobus frater Domini, quem scimus neque ex duodecim numero fuisse neque testem eorum quae Iesus fecerat dixeratque, sed sero se illius discipulis adiunxisse.[2]) Nempe postquam convenit Paulo cum Petro ceterisque, ut ipse εἰς τὰ ἔθνη, illi εἰς τὴν περιτομήν irent[3]), non fuit eis Hierosolymis manendum neque intra Iudaeam consistendum, qui mandatum accepissent in omnes terras eundi, sed — quae erat fere una ratio partitionis illius —, ad orientem versus proficiscendum, quod iter ingressus Petrus non multo post Antio-

---

1) Probat eas rationes etiam A. Harnack, Chronologie d. altchristl. Litter. I, 237.

2) V. Act. 15, 2. 4. 6. 7 etc. Paul. Gal. 2, 9, contraque Act. 21, 18.

3) Gal. 2, 9.

chiam venit[1]), Babylonem ut videtur iturus. Itaque Hierosolymis in locum vivae vocis apostolorum quam primum successerunt litterae scriptae, ex quibus iam recitabantur in coetibus eadem illa, quae antea Petrus ceterique de Domino narrare soliti erant: quae litterae putandae sunt primitus non Graeco sed patrio Iudaeorum sermone conceptae fuisse, quippe quo apostoli quoque usi essent. Eum igitur statum rerum Lucas invenit, cum Hierosolyma anno quo dixi adiit. Sed cum multi essent coetus Christiani per Iudaeam Samariamque, multis talibus libellis opus fuit, et habemus ipsum Lucam testantem, non modo unius libri multa exempla, sed multos auctores librorum fuisse. Sic enim ille in exordio: „quandoquidem", ait, „multi conati sunt e memoria narrationem contexere earum rerum quae inter nos factae sunt". Quae verba gravissima sollertem profecto interpretationem flagitant. Primum cum dicit „inter nos" (*ἐν ἡμῖν*) paulloque post „sicut nobis tradiderunt apostoli", Iudaeae dicit incolas, ex quibus unus iam ipse factus erat, annos integros duos[2]) in Iudaea commoratus et fortasse plures commoraturus, si Pauli captivitas etiam diutius protraheretur; opponitur autem Theophilus in alia terra degens. Tum *ἀνατάξασθαι* minime idem est atque *συντάξασθαι* (quod video plerosque et putare et putasse, nam „ordinare narrationem" vertunt Latini, „scribere et narrare de rebus" Syrus Sinaiticus), sed servat suam vim *ἀνά*, sicut probant duo loci quibus solis praeter hunc id verbum invenitur: Plutarch. Moral. 968 CD (de quodam elephanto) *ἀνατασσόμενος τὰ μαθήματα καὶ μελετῶν* (repetens memoriam eorum quae docebatur), et Irenae. p. 534 St. de Esdra: *τοὺς τῶν προγεγονότων προφητῶν πάντας ἀνατάξασθαι λόγους*, i. e. e memoria (adiuvante scilicet divino spiritu) restituisse quae perierant (*διαφθαρεισῶν τῶν γραφῶν* ante). Addo ne *πεπληροφορημένων* quidem, quod pro *πεπληρωμένων* scriptor posuit utpote grandius, sicut *ἐπειδήπερ* pro *ἐπειδή*[3]), ab

1) Gal. 2, 11.
2) V. Act. 24, 27.
3) Recte componit Grimm hoc *πράγματα πεπληροφορημένα* (*res completae* ital. vulg.) cum *ὡς ἐπληρώθη ταῦτα* Act. 19, 21,

omnibus recte intellectum esse: ipse Eusebius cum dicit (hist. eccl. 3, 24, 15): *διήγησιν ποιήσασθαι ὧν αὐτὸς πεπληροφόρητο λόγων*, manifesto et hoc (quasi sit *πληροφορεῖν* ut alias „persuadere") et *ἡμῖν* (quod ad unum scriptorem refert) et *ἀνατάξασθαι* ad alienum sensum detorquet.[1]) Sublatis igitur erroribus omnibus, docet hic locus Lucae idem plane (si discesseris ab illo *πολλοί*) quod notissimus Papiae Hierapolitani, qui ita de Marco: *ὅσα ἐμνημόνευσεν ἀκριβῶς ἔγραψεν, οὐ μέντοι τάξει — οὕτως ἔνια γράψας ὡς ἀπεμνημόνευσεν· ἑνὸς γὰρ ἐποιεῖτο πρόνοιαν, τοῦ μηδὲν ὧν ἤκουσε παραλιπεῖν.* Neque enim, si *ἀνατάξασθαι* est „e memoria repetere et componere", ea memoria est eorum quae ipsi viderant, sed ut docent proxima: *καθὰ παρέδοσαν οἱ αὐτόπται*, eorum quae apostolos narrare audierant; itaque testibus Luca atque Papia ideo sunt prima euangelia composita, ne discessu apostolorum paullatim ignota fierent hominibus quae illi viderant quaeque praesentes rettulerant. Iam quid Lucas ipse? Vult scilicet Theophilum eiusque amicos sua ope eodem beneficio frui, quo iam fruebantur Christiani qui Iudaeam incolebant, quod beneficium illis etiam maius futurum erat quam his fuerat. Est enim oppositio inter *ἡμῖν παρέδοσαν* et *ὧν κατηχήθης λόγων*: *παραδιδόναι* est tradere scientiam, at *κατηχεῖν* docere sive recte sive perperam, sicut exstat in Actis (c. 21, 21) de quodam falso rumore: *κατηχήθησαν περὶ σοῦ ὅτι κτέ. Παράδοσις* Iudaeae incolis obtigerat; ad extraneos per alios fama manaverat, qui neque omnia quae ab apostolis audierant retinebant neque fortasse in ipsis quae meminerant recto intellectu sinceraque memoria utebantur; iam igitur Theophilus harum litterarum ope eadem cognoscet quae Iudaeae incolae, habebitque pro rumoribus

---

sicut *πληροφορεῖν τὴν διακονίαν* (*τὸ κήρυγμα*) II. Tim. 4, 5 (17) idem valet atque *πληροῦν τὴν διακονίαν* Act. 12, 25.

1) Verbis *οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου* A. Harnack l. c. p. 248, 1 indicari putat testium illorum omnium mortem. Verte germanice: *die von Anfang an die Augenzeugen und Diener des Wortes gewesen sind:* num quid tale inesse putabis? Non magis quam si nunc quis dicat: *„Bismarck, der der Gründer des deutschen Reiches gewesen ist"*, sive *„geworden ist"*.

parum integris plenam atque certam scientiam (τὴν ἀσφάλειαν). Sed quomodo fit ut tantum Lucas promittere possit? Id quoque explicare non neglegit, affirmans se παρηκολουθηκέναι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, id est non (ut Eusebius intellexit)[1]) sectatum esse diligenter apostolos (quasi πάντων ad αὐτόπτας sit referendum), sed res illas inde ab ipsis originibus cum cura esse perscrutatum. Verum postquam hucusque satis facile progressi sumus, reliquam itineris partem impeditiorem reperimus. Parum enim diserte Lucas significat, utrum ex commentariis illis qui primitus scripti erant sua acceperit, an ex ore hominum idoneorum, manetque id quoque obscurum, utrum vituperet priores scriptores melioraque ipse promittat, an se cum illis exaequare voluerit. Nisi quod, cum ἄνωθεν illud addiderit, significasse videtur reliquos non ab initio res repetisse, id quod cadere videmus in Marcum nostrum; addit etiam καθεξῆς ad γράψαι, ut putare possis ceteros e Lucae opinione non καθεξῆς narravisse. Scimus autem Papiam de Marco referre, cum omnia perscriberet quae meminisset neque quidquam omitteret, ordinem rerum eum parum servasse, atque parum servavit ille, qui praeter prima extremaque nullo ordine uti, sed temere ac fortuito omnia miscere videatur. Sed num melius Lucas? Immo, si fieri potest, etiam peius. Ipsam Marci seriem rerum sequitur, et postquam ab hoc duce discessit, pergit dicta facta plurima coacervare magis quam componere, ut plane desideremus eam componendi artem, quam in Actis idem Lucas exhibet. Itaque si Marcum reprehendere voluit, se ipse reprehendit. Sed mihi videtur in illo καθεξῆς nihil tale inesse, neque vero Papias eo adverbio utitur, sed τάξει negat narrasse. Apud Lucam simillimus est Actorum locus (11, 4): ὁ Πέτρος ἐξετίθετο αὐτοῖς πάντα (ita β) καθεξῆς, sicut hic dicit παρηκολουθηκότι πᾶσιν — καθεξῆς σοι γράψαι, id est omnia ex ordine, nulla re praetermissa, ut hoc magis significetur quam ordo alius alio melior atque convenientior.

---

1) Item Epiphanius, quare (II, 458) Lucam haec dicentem facit: ἔδοξε κἀμοὶ καθεξῆς παρηκολ. ἄν. τοῖς αὐτ. καὶ ὑπηρ. τοῦ λόγου γενομένοις.

§ 5. De auctoribus autem Lucae aegre a me ipse impetro ut aliquid dicam, propter summam earum rerum obscuritatem et quia cum ignotis hominibus nobis res est, de quibus quamvis coniectando laboremus, certi nihil assequamur. Attamen Marcus certe et Matthaeus, hos dico quorum exstant scripta, non videntur ignoti esse, neque nimis impedita philologo haec quaestio, utrum Lucas his auctoribus usus sit necne, vel contra Luca alteruter horum vel uterque. Immo Lucae euangelium qui sit editurus ne potest quidem has quaestiones defugere; nam si qua verbo tenus congruunt inter Lucam Marcumque sive Matthaeum (atque congruunt multa), ea nihil suspicionis habent, si quidem Lucas hos auctores habuit vel hi illum; at si nulla est inter Lucam hosque societas agnoscenda, statim eadem de corruptela erunt suspecta. Videamus igitur quid rei sit, atque primum de Marco. An acta agimus, hoc cum quaerimus? Nonne ipsi modo secuti sumus opinionem receptam ab omnibus, ordinem rerum ipsum qui apud Lucam est magna ex parte a Marco esse profectum? Verum non est simplex haec quaestio, sed si magis cum cura introspexeris, videbis ex una nasci complures. Sicuti cum de Matthaeo agimus, statim qui unus esse videbatur discedit in duos, graecum hunc quem manibus tenemus et alterum hebraicum de quo fando accepimus: similiter in Marco fieri potest. Nam etsi nemo tale quid de illo tradidit, ne Papias quidem, cuius modo locum insignem attulimus: tamen profecto plura in rebus infuerunt quam in mente Papiae, neque potest huius auctoritate talis quaestio, si qua exstiterit, tanquam a limine arceri. Id igitur nunc quaero, num hoc Marco graeco Lucas usus sit; nam de contraria ratione, ut Marcus usus sit Luca, non videtur cogitari posse. Itaque si est Lucas usus hoc Marco, necessarium fere est ut id collatis utriusque verbis multis locis manifesto appareat: sicut apparet Aristotelem ad quasdam partes *Πολιτείας Ἀθηναίων* Herodotum adhibuisse, Thucydidem ad initium libri sui sexti auctorem qui ionice scripsit; deflectunt enim a sua scribendi ratione subinde ad alienam, ubi alienis utuntur. Sed eam comparationem Marci Lucaeque antequam instituas, perpurgata esse oportet utriusque verba, remotis scilicet eis, quae per

librarios ex altero in alterum plurima invecta sunt: quod genus corruptelae Hieronymi testimonio docemur iam illius temporibus latissime patuisse, multoque antiquius illo fuisse Marcionis euangelium (de quo postea nobis agendum erit) documento est. Itaque ne libris nostris fraudem nobis facientibus in magnos errores implicemur, quam diligentissime cavendum est. Recens inventa sunt ea librorum subsidia, quibus interpolationis convincantur Lucae librarii in his (c. 5, 27 sq.): *ἐθεάσατο τελώνην ὀνόματι Λευῒ καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον — — καὶ καταλιπὼν ἅπαντα, ἀναστὰς ἠκολούθει αὐτῷ.* Sic autem Marcus (2, 14): *εἶδε Λευῒ — καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον — — καὶ ἀναστὰς ἠκολούθησεν αὐτῷ.* Sed cum praemisisset Lucas *τελώνην*, quod non est apud Marcum, inutilia fuerunt illi verba *καθήμενον ἐπὶ τὸ τελ.*, quae recte omittit codex Londiniensis n. 700; et sublato *τῷ καθῆσθαι*, ne *τὸ ἀναστῆναι* quidem commemorandum fuit; recte igitur *ἀναστὰς* omittit Syrus Sinaiticus. Quot autem possunt esse alii loci, quibus cum similis fraus subsit, necessariis tamen ad eam detegendam testium subsidiis adhuc destituamur! Nihilo minus sic quoque sponte sua apparet, in eis particulis Lucani euangelii, quae a Marco solo neque a quoquam alio pendere videantur, insignia verba atque rariora minime congruere solere, sed si qua, vulgaria atque trita. Modo utamur nostrorum librorum subsidiis paratis, neve per Vaticani aliorumve codicum clarorum auctoritatem nobis imponi patiamur. Veluti in dicto de camelo deque homine divite (L. 18, 24 sq. Mc. 10, 24 sq.) videntur haec apud utrumque congruere: *πῶς δυσκόλως οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ* (tum *εἰσελεύσονται* Marcus, *εἰσπορεύονται* Lucas), cum valde discrepent: *εὐκοπώτερόν ἐστιν κάμηλον διὰ τῆς τρυμαλιᾶς τῆς ῥαφίδος διελθεῖν* apud Marcum, *εὐκοπ. γάρ ἐστιν κάμηλον διὰ τρήματος τῆς βελόνης εἰσελθεῖν* apud Lucam. Sed secundum Syrum Sinaiticum prior versus apud Marcum sic legendus est: *πῶς δύσκολόν ἐστιν τοὺς πεποιθότας ἐπὶ χρήμασιν — εἰσελθεῖν*, alter autem apud eundem secundum D a: *τάχιον κάμηλος διὰ τρυμαλιᾶς ῥαφίδος διελεύσεται ἢ πλούσιος εἰς τὴν βασ. τοῦ θεοῦ.*[1]) Tum cum sint in tota

1) Totus locus Marci sic mihi legendus esse videtur: *πῶς*

haec Marci narratione (10, 17—27) haec vocabula paullo magis insolita: *προσδραμεῖν*, *γονυπετεῖν*, *ὑστερεῖν*, *στυγνάζειν*, *κτῆμα*, *θαμβεῖσθαι*, *περισσῶς*, *ἐμβλέπειν*, ex his octo ne unum quidem apud Lucam recurrit. Obieceris ne *δύσκολος* quidem, quod apud utrumque est, frequentis in NT. usus esse, rarum etiam *χρήματα*. At si haec rara sunt, ideo rara, quia ne notiones quidem ipsae in his libris frequenter occurrebant; certe et *χρήματα* propria est atque unica eius rei appellatio, et *δύσκολος* solum hanc notionem designabat, cum *χαλεπός* non sit in NT. nisi „molestus“. Examina alios locos: ubique similia invenies. Prima particula quae ex Marco sumpta esse videatur exstat apud Lucam c. 4, 31—44, suntque ibi haec vocabula non vulgatissimae consuetudinis: *ἀνακράζειν*, *ἔα*, *φιμοῦσθαι*, *θάμβος*, *ἦχος*, *ποικίλος*, *κραυγάζειν*; at apud Marcum (1, 21—39) multo plura: *ἀνακράζειν*, *φιμοῦσθαι*, *σπαράσσειν*, *θαμβεῖσθαι*, *ἀκοή* („rumor“), *πυρέσσειν*, *ὀψία*, *δαιμονίζεσθαι*, *ἐπισυνάγειν*, *ποικίλος*, *ἔννυχα*, *καταδιώκειν*, *κωμόπολις*. Vides quae congruant vel congruere videantur, nempe tria: *ἀνακράζειν*, *φιμοῦσθαι*, *ποικίλος*, quibus adiunge, si libet, *θάμβος* (Luc.) — *θαμβεῖσθαι* (Mc.) Verum *ποικίλαις νόσοις* apud Marcum parum tutae lectionis est[1]), reliqua autem nihil habent scriptoris alicuius proprium, neque perspicitur quonam verbo Lucas, si nollet *φιμοῦσθαι* adhibere, satis forti alio uti potuerit. Tertiam addo narrationem eam quae est de quinque milibus quibus cibum Iesus praebuit, L. 9, 10—17 = Mc. 6, 30—44. Apud Lucam *ὑποστρέψαντες* apostoli *διηγοῦνται*, apud Marcum *συνάγονται πρὸς τὸν Ἰησοῦν* et *ἀπαγγέλλουσιν*. Secedunt (*ὑπεχώρησεν* L., *ἀπῆλθον* Mc.) *κατ' ἰδίαν* (L. Mc.) in desertum; consequitur (*ἠκολούθησαν* L., non Mc.) eos multitudo populi. Quam benigne

---

δύσκολόν ἐστι τοὺς πεποιθότας ἐπὶ (τοῖς) χρήμασιν (v. l. *τοὺς τὰ χρήματα ἔχοντας*) *εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν. τάχιον κάμηλος διὰ τρυμαλιᾶς ῥαφίδος διελεύσεται ἢ πλούσιος εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ* (habent haec *τάχιον* . . *θεοῦ* h. l. D 235. a b f[2]). *οἱ δὲ μαθηταὶ ἐθαμβοῦντο ἐπὶ τοῖς λόγοις αὐτοῦ. ὁ δὲ Ἰ. πάλιν ἀποκριθεὶς λέγει αὐτοῖς· τεκνία, πῶς δύσκολόν ἐστιν εἰς τὴν βασ. τοῦ θ. εἰσελθεῖν. οἱ δὲ περισσῶς ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες πρὸς ἑαυτούς· καὶ τίς δύναται σωθῆναι;* Sunt haec ap. Matth. et Luc. non sane bene in artius contracta. Cf. Hermathen. IX, 134.

1) Om. (א[1]) L, totusque locus varia lectione abundat.

exceptam (ἀποδεξάμενος L., non Mc.) Iesus per totum diem docet (ἐδίδασκεν Mc., non L.); dein cum iam sero factum esset (πολλῆς ὥρας γενομένης Mc., at ἡ ἡμέρα ἤρξατο κλίνειν L.), προσέρχονται (L. M.) duodecim (L., μαθηταί M.) rogantes ut populum dimittat (ἀπόλυσον L. M.). Longum est singula omnia persequi; sed cum apud Marcum sit ἀνακλῖναι πάντας συμπόσια συμπόσια, tum ἀνέπεσαν πρασιαὶ πρασιαί, nullo ex his vocabulis Lucas usus est, sed dicit κατακλίνατε αὐτοὺς κλισίας et deinde κατέκλιναν ἅπαντας. At obieceris haec apud utrumque verbo tenus congruere: λαβὼν τοὺς πέντε ἄρτους καὶ τοὺς δύο ἰχθύας, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν εὐλόγησεν. Et haec quidem non modo apud hos eadem sunt, sed etiam apud Matthaeum (14, 19), notavitque iam Origenes miram trium congruentiam. At in Matthaeo Marcoque non est quod mireris, plurima enim hi duo ad verbum congrua habent; in Luca videndum, ne quid sit corruptelae e ceteris duobus contractum. Atque habet apud illum D προσηύξατο καὶ εὐλόγησεν, ut non sine causa suspiceris καὶ εὐλόγ. spuria esse, neque minus fortasse ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανόν, quae in italae 1 post ἄρτους transposita inveniuntur. Res igitur in universum haec est: a congruentia ceterorum Lucas solus ita secedere solet, ut etsi rebus nihil differat, verba tamen ipse sibi eligat propria neque communia. Hae autem videntur ex Lucae euangelio partes ad Marcum solum auctorem referri posse: c. 4, 31—44 (Mc. 1, 21—39). 5, 12—38 (Mc. 1, 40— 2, 22). 6, 1—11 (Mc. 2, 23—3, 6). 8, 4—18 (Mc. 4, 1—25). 8, 19—21 (Mc. 3, 31—35). 8, 22—56 (Mc. 4, 35—5, 43). 9, 1—17 (Mc. 6, 7—16. 30—44). 18, 15—30 (Mc. 10, 13—30): etsi magis cum cura introspicienti in his quoque apud Lucam non pauca comparebunt, quae vel extrinsecus addita sint vel fusius vel diversa ratione narrentur. Velut quod in curanda socru Petri secundum Lucam (4, 39) Iesus ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς ἐπετίμησεν τῷ πυρετῷ, at secundum Marcum (1, 31) προσελθὼν ἤγειρεν αὐτὴν κρατήσας τῆς χειρός, vel quod manus arida, quam curavit Iesus, dextra fuit secundum Lucam (6, 6) solum, cum nihil definiant ceteri, vel quod in explicanda parabola quae est de seminatore solus ad καρποφοροῦσιν addit ἐν ὑπομονῇ (8, 15). Sed nolo his immo-

rari, cum minime mihi sit propositum omnes quaestiones solvere, quae ingenti numero per has partes incedenti undique exoriuntur, sed eas dumtaxat, quae vel ad duplicem euangelii Lucani formam vel ad verba Lucae rectius restituenda aliquo modo pertineant. Itaque in eis particulis quas modo enumeravi aliisque illis, in quibus videtur Lucas etsi non solo Marco sed tamen inter alios Marco auctore usus esse, haec sunt quae maxime apud utrumque congruant speciemque quandam praebeant, tanquam graeco Marco nostro ille usus sit. L. 8, 33 sqq. Mc. 5, 13 sqq. *εἰσῆλθον εἰς τοὺς χοίρους, καὶ ὥρμησεν ἡ ἀγέλη κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν — ἔφυγον καὶ ἀπήγγειλαν εἰς τὴν πόλιν καὶ τοὺς ἀγρούς — ἱματισμένον καὶ σωφρονοῦντα.* Ita graeci nostri; sed secundum vulgatam latinam ipsa prima non congruunt: L. (Mt. 8, 32) *impetu abiit grex per praeceps in* —, at Mc. *magno impetu grex praecipitatus est in* —, neque secundum Syrum Sinaiticum: L. (Mt.) *et cucurrit* (חרצת) *totus grex ad rupem et cecidit in* —, Mc. *et cucurrit* (רהטת) *grex et cecidit in* —. Colligo igitur in his *ὥρμησεν ἡ ἀγ. κατὰ τοῦ κρημνοῦ* quaedam ex Luca Matthaeoque in Marcum perperam invecta esse. L. 18, 16 sq. Mc. 10, 14 sq. *ἄφετε τὰ παιδία* (sed *παιδάρια* D Mc., ibd. vulg. *parvulos,* at *pueros* in L.) *ἔρχεσθαι πρός με* (*καὶ*) *μὴ κωλύετε αὐτά· τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὃς ἂν μὴ δέξηται τὴν β. τ. θ. ὡς παιδίον* (*parvulus* — *puer* vulg.), *οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτήν* (sed D Mc. *οὐ μὴ εἰς αὐτὴν εἰσελεύσεται*). Sunt omnia vocabula vulgatissima. Item in his (L. 18, 18 sqq. Mc. 10, 17 sqq.): *ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω* (sed vulg. M. *percipiam,* L. *possidebo*) — *τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς* (sed *οὐκ ἔστιν* italae r ap. L.) *ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς* (*μόνος εἷς* D ap. Mc., italae c f[2] ibd. *solus;* vulg. M. *unus,* L. *solus*) *ὁ θεός* (*ὁ πατήρ* add. ap. L. d Marcion). *τὰς ἐντολὰς οἶδας· μὴ μοιχεύσῃς κτέ.* (D ap. Lc. *οὐ μοιχεύσεις κτέ.*; vulg. L. *non occides, non moechaberis,* Mc. *ne adulteres, ne occidas*). Sed minime vulgaria videntur esse vocabula in his (L. 20, 46 sq. Mc. 12, 38 sqq.): — *ἀπὸ τῶν γραμματέων τῶν θελόντων ἐν στολαῖς περιπατεῖν* (*περ. ἐν στ.* L.) *καὶ* (*φιλούντων* add. L.) *ἀσπασμοὺς* (*salutari* vulg. M.) *ἐν ταῖς ἀγοραῖς καὶ πρωτοκαθεδρίας* (*in primis cath. sedere* vulg. M.) *ἐν ταῖς συναγωγαῖς καὶ πρωτοκλισίας ἐν τοῖς δείπνοις· οἳ* (*οἵ*) *κατεσθίουσιν*

(-ὄντες) τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν καὶ προφάσει μακρὰ προσεύχονται (-όμενοι), οὗτοι λήμψονται περισσότερον κρίμα. Mihi autem videntur non modo στολή et ἀσπασμός, sed etiam πρωτοκαθεδρία et πρωτοκλισία (quae non his solis locis exstant) tunc quidem temporis usu recepta fuisse, in extremis autem (quorum consensus per se gravior est) Lucae verba esse adulterata (*simulantes longam orationem* vulg. L., et v. adnot. crit.). Et quod uterque habet κεράμιον ὕδατος βαστάζων (L. 22, 10. M. 14, 13), moneo neque vulgatam neque Syrum Sinaiticum idem utrobique vocabulum pro κεράμιον exhibere, esse autem apud Lucam in D βαστάζων κερ. ὕδ., in e *ferens amphoram aquam portans,* in ℵ[1] nihil nisi βαστάζων.

Itaque videtur sane negandum esse, Marcum graecum inter Lucae auctores fuisse, cum et pauca sint haec quae congruant et dubitationibus minime exempta, sequiturque ut critici sit minuere congruentias quantum possit, nunquam vero augere.

§ 6. Satis multa de Marco; de Matthaeo pauciora sufficient, quem inter Lucae auctores non fuisse ex ipso huius exordio manifestissimum est. Cum enim inter se opponantur apostoli qui viderint narraverintque et reliqui illi qui scripserint, diserte indicatur nullum scriptum Lucae innotuisse, quod apostoli nomen prae se ferret. Itaque quae sunt apud eum cum Matthaei locis ad verbum congruentia, multo quidem magis illa conspicua quam ea quae cum Marco nunc Lucas communia habet, neque coniecturis multum sollicitanda, aut ad Lucam erunt revocanda aut ad communem aliquem utriusque auctorem graecum. Illud suadere videntur vocabula quaedam Lucana, quae in communibus particulis occurrunt: L. 3, 7 = Mt. 3, 7 ὑποδείξω, quod apud Lucam sexies exstat[1]), contra alienum est a reliquo NTo; L. 6, 41 = Mt. 7, 3 κατανοεῖς; nempe id quoque apud Lucam octies est, nusquam praeterea in euangeliis. Verum si quis dixerit ex auctore communi Lucam his quidem locis ea vocabula sumpsisse, deinde aliis quoque utpote iam familiaria sibi eadem adhibuisse, non habebo quod opponam. Alia etiam minus ad pro-

---

1) L. 3, 7. 6, 47. 12, 5. Act. 2, 37 β. 9, 16. 20, 35.

bandum valent: velut quod in his Matthaei (12, 41): *ἄνδρες Νινευῖται ἀναστήσονται ἐν τῇ κρίσει κτέ.*, quae sunt eisdem verbis apud Lucam 11, 32, exstat *ἀναστήσονται* huic conveniens, non conveniens Matthaeo, qui pro *ἀναστῆναι* hoc quidem sensu *ἐγερθῆναι* ponere soleat.[1]) At totus versus Lucae abest a D, neque immerito, cum ordinem loci conturbet; videtur igitur adscriptus esse ex Matthaeo neque iusto loco a scribis receptus. Denique cum apud Matthaeum Marcumque constanter sit *Ἱεροσόλυμα* pro *Ἰερουσαλήμ*, excipitur unus illius locus c. 23, 37 cum Luca congruens.[2]) Sed nimirum alii quoque scriptores et *ἀναστῆναι* et *Ἰερουσαλήμ* usurpasse credendi sunt. Et vide quae suadeant ut communem auctorem utriusque fuisse statuamus. Consentiunt fere inter se L. 11, 24—26 et Mt. 12, 43—45; sed addit hic et *σχολάζοντα* v. 44 et in fine *οὕτως ἔσται καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ.* Utrum igitur putabimus Lucam a Matthaeo et exscriptum et his auctum esse, an et haec et cetera communi auctori deberi? Item 23, 39 habet Matthaeus *ἀπ' ἄρτι*, quo Lucas caret, at omittit *ἥξει ὅτε*, quod habet Lucas. Tum L. 7, 25 in loco insignis congruentiae, *οἱ ἐν δόξῃ καὶ τρυφῇ διάγοντες* (ut ego emendandum puto, quod si non concedatur, ad hanc certe quaestionem non multum refert); Matthaeus 11, 8 *οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες*; fac apud communem auctorem fuisse *οἱ τὰ μ. φορ. καὶ ἐν δόξῃ κτέ.*, neque quicquam amplius quaeres. Sic reliqua quae sunt eiusdem generis: plana erunt omnia si communem auctorem fuisse statueris, at valde impedita, si Lucam Matthaei auctorem.[3])

---

1) *Ἐγερθ.* etiam Mt. 17, 9. 20, 19 ex testibus fide dignis Tischendorfius recepit.

2) Apud L. in euang. sola fere est forma semitica, utique in parte priore. Nempe 2, 42 *εἰς Ἱερ.* in *α* delendum est; a *β* etsi abesse non potest, tamen forma locusque ibi quoque parum tuta. Tum 2, 22 recte Amphilochius (ap. Galland. VI, 468) *εἰς τὸ ἱερόν* pro *εἰς Ἱεροσ.* praebere videtur. Relinquuntur igitur loci 19, 28 (sed *Ἰερουσ.* D e 145) et 23, 7.

3) Congruunt ad verbum apud utrumque haec fere: Mt. 3, 7—12. L. 3, 7—9. 16—17. Mt. 6, 7 sq. L. 11, 2 *β*. Mt. 6, 22 sqq. L. 11, 34 sq. 16, 13. Mt. 6, 25 sqq. L. 12, 22 sqq. Mt. 7, 3 sqq. L. 6, 41 sq. Mt. 7, 7 sqq. L. 11, 9 sqq. Mt. 8, 8 sqq. L. 7, 6 sqq. Mt. 8, 19—22. L. 9, 57—60. Mt. 11, 3—11. 16—19. L. 7, 19. 22—28.

§ 7. Sed postquam absolvi hanc disputationem, quae fuit de euangelii Lucani auctoribus eis quorum adhuc scripta exstent, libet appendicem addere et ad Acta pertinentem et ad illorum auctorem quendam deperditum, non ut doceam quis is fuerit — certum enim est mihi coniecturis quoad fieri possit abstinere —, sed ut aramaicam prioris Actorum partis originem a Nestlio sagacissime detectam novis insuper argumentis confirmem.[1]) Est enim hoc quam maxime philologi, observatis sermonis proprietatibus inde de origine alicuius scripti docere: quod si de Actis antehac non feci, nunc occasione utar. Itaque ut incipiam ab re sane insigni, periphrasis illa aramaica imperfecti futurique, quae fit per participium et verbum ἤμην (ἔσομαι), et apud Marcum et apud Lucam frequentissima est, minus frequens apud Matthaeum, qui etsi interpres est, plerumque tamen satis eleganter interpretatur; a Iohanne scriptore graeco alienam eam iudico.[2]) Ne Lucas quidem, ubi verus scriptor est, uti ea solet, sed tantummodo ubi quasi interpres. Itaque in Actis invenies usque ad extremum c. XII (qui est finis eius partis quae Petri res gestas complectitur) illius periphrasis exempla septendecim[3]); sed inde a c. XIII haec tantum: (14, 7 κἀκεῖ εὐαγγελιζόμενοι ἦσαν, quae non est vera periphrasis; ἦσαν enim est „commorabantur"). 16, 12 ἦμεν ἐν ταύτῃ τῇ πόλει διατρίβοντες (simile hoc priori, sed videtur quaedam periphrasis agnoscenda esse). 18, 7 ἡ οἰκία ἦν συνομοροῦσα (participium id ad adiectivi notionem prope accedit). 21, 3 ἦν ἀποφορτιζόμενον (= ἔμελλεν ἀποφορτίζεσθαι; non poterat dici eo sensu ἀπεφορτίζετο). 22, 19 ἤμην φυλακίζων in Pauli oratione quae aramaica lingua habita est. Nonne manifesta res est, interesse aliquid

---

31—35. Mt. 11, 21—23. 25—27. L. 10, 13—15. 21 sq. Mt. 12, 25—30. L. 11, 17—23. Mt. 12, 33 sqq. L. 6, 43 sqq. Mt. 12, 39—45 (cf. 16, 4). L. 11, 29 sqq. 24 sqq. Mt. 16, 24 sq. L. 9, 23 sq. Mt. 23, 37 sqq. L. 13, 34 sq. Mt. 24, 17 sq. L. 17, 31. Mt. 24, 42—51. L. 12, 39—46.

1) Cf. Act. ed. Teubn. p. IV sq. (et ad c. 2, 47. 3, 14).

2) Gr. d. ntst. Gr. p. 199, 1 (de ἦν ἀνακείμενος 13, 23. ἦσαν κείμεναι 2, 6 v. ibd. p. 198).

3) A. 1, 10. 13. 14. 2, 2. 5. 42. 8, 1. 13. 28. 9, 9. 28. 10, 6β. 24. 30. 12, 5. 6. 20.

inter Lucam scriptorem sui iuris factum et aliena scripta aramaica graece interpretantem? Haec enim huius differentiae unica ratio est, neque multum nos movebit, quod eiusdem consuetudinis vestigia quaedam etiam in altera parte esse videntur. Nempe admonet Lucas eorum, qui — ut similitudine utar ab Alcidamante rhetore in oratores quosdam adhibita[1]) — post longum tempus e vinculis soluti in eundo *εἰς ἐκεῖνα τὰ σχήματα καὶ τοὺς ῥυθμοὺς ἀποφέρονται, μεθ' ὧν καὶ δεδεμένοις αὐτοῖς ἀναγκαῖον ἦν πορεύεσθαι*; ita ille quamquam solutus tamen in aramaismos quibus adsueverat est ubi relabatur. Item parum atticum, verum aramaicum est *ἐν τῷ* cum infinitivo, loco genitivi absoluti sive enuntiati temporalis; ita in Actis 2, 1 *ἐν τῷ συμπληροῦσθαι*. 3, 26. 9, 3. 11, 15, id est quater per priorem partem; at in altera, quae aliquanto longior est, semel tantum, 19, 1 α *ἐν τῷ εἶναι*. *Ἐν* sensu instrumentali adhibitum, qui et ipse est aramaismus conspicuus, in priore parte non plane desideratur: 1, 3 *ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις*. 5 *ἐν πνεύματι βαπτισθήσεσθε*. 4, 7. 9 al.; sed in altera nihil eiusmodi invenias praeter *δικαιοῦσθαι ἐν* Pauli 13, 39 et *ἐν ὀλίγῳ* — *ἐν μεγάλῳ* eiusdem 26, 29, quae suam excusationem habent. A. 7, 10 *χάριν ἐναντίον Φαραώ*, 4, 19 *δίκαιον ἐνώπιον τοῦ θεοῦ*, 6, 5 *ἤρεσεν ἐνώπιον τοῦ πλήθους*, quibus addas 7, 46. 8, 21. 10, 4. 31, sed nihil ex altera parte. 3, 19 *ἔλθωσιν ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου*. 5, 41 *ἐπορεύοντο ἀπὸ προσώπου τοῦ συνεδρίου*, cf. 7, 45; his tribus exemplis unum alterius partis opponitur, 13, 24 *πρὸ προσώπου τῆς εἰσόδου αὐτοῦ*, exstans in Pauli oratione quam Antiochiae in synagoga habuit, minime bene graeca. 1, 16 *διὰ στόματος Δαυίδ*, cf. 3, 18. 21. 4, 25, tum *ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ* 8, 35. 10, 34, cuius non est plane simile 18, 14 *μέλλοντος τοῦ Παύλου ἀνοίγειν τὸ στόμα*; nempe non poterat id omitti, at illud poterat. Reliqua huius circumlocutionis exempla, quae praebet altera pars, in orationibus sunt, alterum in Petri (15, 7), quae aramaica sine dubio fuit, alterum in Pauli (22, 14), quam aramaice habitam esse testatur scriptor.

1) Alcidam. *κατὰ σοφιστῶν* § 17 (v. edit. meam Antiphontis p. 199²).

Abundat ad morem semiticum ἀναστάς (ἀνέστη, ἀνάστηθι) in his: ἀναστὰς ὁ ἀρχιερεύς 5, 17(?), cf. 6, 9. ἀναστὰς ἐπορεύθη 8, 27, cf. 26. 9, 11. 39. 10, 13 α. 20. 23. 11, 7; non abundat ubi exstat in altera parte (exstat autem longe rarius), veluti 14, 20 ἀναστὰς εἰσῆλθεν εἰς τὴν πόλιν de Paulo lapidibus prostrato. Quibus ex omnibus nonne id fere colligitur, Lucam in priore parte exemplum aliquod aramaicum satis presse sequi?

§ 8. Nolim tamen hoc ita accipi, tanquam putem Lucam nihil aliud fecisse, quam aliena Acta ad verbum vertisse. Neque exstat omnino apud illum quod pro mera interpretatione haberi possit, praeter ipsam primam euangelii partem, qua natales Iohannis Baptistae atque Christi enarrantur. Namque color ille hebraicus sive aramaicus, qui etiam alibi conspicitur, huic parti tam crassus multusque inductus est, ut nihil simile sit per totum NT., sed plane veteris testamenti graeci admoneamur. Habebat scilicet, ut mihi videtur, ad hanc unam partem Lucas commentarios sacra lingua hebraica conscriptos, cuius cum ipse non esset peritus, alium adhibuit qui graece in suum usum verteret; vertit autem is eadem ratione qua usi sunt Veteris testamenti interpretes. Ipsius auctorem commentarii sacerdotem quendam fuisse conicio; constat enim Actorum testimonio (6, 7) sacerdotes quoque multos Christianis Hierosolymitanis se adiunxisse, et a sacerdote Zacharia narratio exordium capit. Lucas autem versione illa ita usus est, ut plurima, maxime quidem cantica, ad verbum describeret, in quibusdam tamen suum stilum induceret, magisque hoc faceret quo magis progrederetur: unde rarior paullatim fit color hebraicus in capite secundo, neque possum finem certum huius partis statuere. Verum id ne opus quidem mihi est; etenim ignota penitusque abdita quaerere aliis relinquo, Homerico praecepto libenter obsequens: ἀλλὰ φόωσδε τάχιστα λιλαίεο.

§ 9. Itaque post longos circuitus iam redimus ad formam huius euangelii Romanam. Primum igitur hoc commemorare debeo, quod adhuc ipse ignorabam, de duplici horum scriptorum editione suspicatum esse aliquid cum Hortium[1])

---

1) Hort Introduction p. 177.

clarissimum editorem Britannum (etsi is eam suspicionem statim reiecit), tum egregium virum, Britannum et ipsum, I. B. Lightfoot[1]), qui si non explicavit coniecturam suam, tamen quasi adumbravit. Adeo verum est quod semper putavi: non eruendam fuisse hanc rem, sed videndam, neque sagacitate critici opus fuisse, sed libero iudicio. Sunt autem sagaces multi, pauci liberi. Tradita est euangelii forma R maxime quidem codice D, quem nisi haberemus, de editione qualis haec est cogitare nunquam potuissemus; tum habet interdum testes alios quosdam codices graecos et antiquos et recentiores, dein latinos non paucos neque paucarum rerum, sed qui plerumque adsint codici D; porro saepissime Syros testes habet, est ubi Aegyptios, denique eandem fere testium societatem quam Actorum forma Romana, verum numero maiorem, quo maior semper fuit euangelii auctoritas quam Actorum. Adsunt etiam patres qui vocantur ecclesiae et graeci et latini, sed antiquiores euangelio quam Actis, neque orthodoxi solum scriptores sed etiam haereticus Marcion: unde corruit statim sententia quam nuper protulit vir doctissimus et in his rebus versatissimus Petrus Corssen.[2]) Is cum censorem meae Actorum editionis prioris ageret sollertem et diligentem minimeque malevolum, neque sibi persuadere posset Lucam Acta bis scripsisse, nubem pro Iunone quaerens Montanistam quendam auctorem formae Romanae nactus esse sibi visus est.[3]) Atqui Montanus, ut demonstrarunt Th. Zahn et Ad. Harnack, non ante annum 157 sectae suae auctor exstitit, Marcion autem Romam venit duobus fere decenniis ante; neque vero videtur euangelii forma Romana ab Actorum separari posse. Sed miror equidem Corssenum, hominem tam acutum, opinione tam male firmata tantopere confidere; quae enim in Actorum forma β Corsseno Montanistam olere videntur, mihi nihil nisi

1) Lightfoot Fresh revision of English NT. p. 29, ap. Georgium Salmon Some thoughts on the textual criticism of the NT. (1897) p. 135.

2) Gött. Gel. Anzeigen 1896, p. 425—448.

3) In eam coniecturam pridem inciderat Rendel Harris, sed is eam non tenuit melioraque multo alia postea protulit. V. ed. Act. Teubn. p. XXVI sq. XXXI.

Christianum monstrant. Neque id solum Montani eiusque sectae proprium fuit, quod prophetas in honore habebant — sicut Christiani Antiocheni secundum A. 11, 27 β (ἦν δὲ πολλὴ ἀγαλλίασις) —, sed alia praeterea multa, disciplina severissima et crebra ieiunia et castimonia perpetua, cum hic Montanista Actorum interpolator usum animalium suffocatorum, a quo arcuerat Christianos scriptor α, liberaliter concedere videatur (v. A. 15, 20. 29. 21, 25). Quod autem Corssenus Tertullianum putavit β forma usum esse postquam Montanista factus est, antea autem altera, id etiam magis mirandum est. Nempe Tertullianus in libro quem de pudicitia scripsit (c. 12) locum Actorum hunc qui est de suffocatis ceterisque (15, 28 sq.) affert fere secundum formam β, omissis cum β suffocatis; in Apologetico autem multis annis ante conscripto (c. 9) neque affert eum locum neque tangit neque respicit, sed morem qui apud Christianos sui temporis vigebat describens ait eos suffocatis quoque et morticinis abstinere. Quem propter locum si putandus est tunc temporis forma α usus esse, putanda sunt etiam morticina (τὰ θνησιμαῖα) in eodem Actorum exemplo infuisse.

Ceterum idem Actorum locus eademque suffocata omissa Corsseno etiam validissimum argumentum ministrant, quo totam meam de duplici Actorum editione sententiam everti posse confidit. Cur enim sunt suffocata in β omissa? Nimirum quia is qui ea omisit putabat αἵματος prohibitionem ad homicidium referri, posseque se deletis suffocatis summum consensum legis huius Christianis impositae cum Christi lege efficere (v. Matth. 5, 21. 27. (38). 43). Eam autem non fuisse mentem apostolorum qui haec decreverunt manifestum est; vera igitur prodit α, falsa atque adulterata β. Haec quidem Corssenus, audacter magis, ut mihi videtur, quam prudenter. Non enim veretur ipsum Tertullianum erroris absurdi atque ridiculi societate implicare: qui detorquet quidem praeceptum de sanguine in eum sensum suae argumentationis causa, verum ita detorquet, ut simul monstret se veri sensus minime ignarum, cum dicat (de pudic. l. c.): „*interdictum enim sanguinis multo magis humani intellegemus*". Sed o egregiam atque singularem interpolatoris Actorum stulti-

tiam! Qui inter Christianos vivens sanguine abstinentes, ipse procul dubio sanguine abstinens, hoc interdictum maluit de homicidio legibus et Romanis et gentium prohibito intellegere; qui Christi legis cum memor esset, tamen non posuit pro sanguine odium; qui cum quartum ipse praeceptum adiecisset, ut ne quid alteri facerent quod sibi fieri nollent, non sensit eo illud de homicidio contineri et ex inutili inutilius factum esse protinusque esse delendum! Cur igitur τὰ πνικτά in β non addita sunt? Quia interdicto τοῦ αἵματος et haec et morticina auctor contineri videbat, et postquam semel πνικτά omisit (15, 20), eadem etiam reliquis locis (15, 29. 21, 25) ei omittenda fuerunt. Interrogabit Corssenus, cur postea in α Lucas addiderit. Qua de re cum scire nihil possim, ad coniecturas compellor; conicio igitur, in archetypo scriptoris, quod quidem diversum fuerit et ab R et ab A sicut in euangelio[1]), et πνικτά infuisse et praeceptum illud generale quod deest in A; itaque Lucas cum R scriberet, πνικτά neglegi posse putavit, cum autem A, brevitati consulens longius praeceptum ultimum omisit, sed πνικτά iam non omisit.

Circumspicienti autem mihi, quid praeterea Corssenus sententiae meae opposuerit, primus offertur locus qui est A. 18, 7, ubi pro ἐκεῖθεν testes formae β (M f D[1]) contra sensum, ut videtur, habent ἀπὸ τοῦ Ἀκύλα. Quam lectionem quod ego non receperim, esse dicit Corssenus petitionem principii. Hic scilicet est unicus locus e sescentis, quo formam β vel eius testes videatur erroris convincere potuisse, quo quid esse potest splendidius pro mea sententia documentum? Quaero enim, num facile fieri potuerit, ut ab omni interpolatione vulgari, qualem hanc esse putavi, intemerata manerent huius formae codices. Sed quid si primitus ita scripserat Lucas: μεταβὰς ἐκεῖθεν καὶ ἀπὸ τοῦ Ἀκύλα εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον — Τιτίου Ἰούστου? Num scimus per totum tempus in Aquilae domo Paulum habitasse? Poterat nempe eadem domus Titii, si erat paullo maior, et pro synagoga esse Paulo et pro hospitio, et cum εἰσῆλθεν dicat scriptor, non εἰσήρχετο, aptius iam multo

1) V. supra p. V sq.

id de domicilio simul mutato intellegetur. Ita in β etiam hoc καὶ μεταβὰς (sive potius sec. D[1] μεταβὰς δὲ) ἀπὸ τοῦ (τοῦ om. D[1]) Ἀκύλα stare potest.

Porro obicit mihi numerum satis magnum vocabulorum, quae β formae propria sint. Itaque hoc ut excutiamus quale sit, recenseamus vocabula ea omnia, quae in β Actorum sunt neque in α Actorum. Genera autem eorum sunt quattuor: primum eorum quae nusquam in NT. exstant nisi in β Actorum, alterum quae non sunt nisi in β Actorum et in euangelio Lucae, tertium quae in aliis scriptis NTi exstant, sed apud Lucam nusquam praeterea; quartum quae et in β Act. et in euangelio Lucae et alibi. Primi generis haec sunt: ἀκουστός. ἀνάλλομαι. βαρύνω. δειλινόν. διαλιμπάνω. διιστορῶ. ἐντίθημι. ἐξανοίγω. ἐπικράζω. ἐπιλάμπω. ἐπισείω. ἐπιτυγχάνω. ἐπιχείρησις. ἱστίον. καταβοῶ. καταφωνῶ. ὁμόσε. πεμπταῖος. ποταπῶς. προσεγγίζω. στρατοπεδάρχης. συγκατανεύω. συζήτησις. συναναστρέφομαι. σύνεδρος. συνεκπορεύομαι. συντεχνίτης. τίς ποτε (*nescio quis*). τύραννος. φυγαδεύω (30). Secundi generis: διαλείπω. συγκατατίθεμαι. συντυγχάνω (3). Tertii: ἄμφοδον. ἀναίτιος. ἀναμιμνήσκομαι. ἀποστερῶ. βαθμός. βέλτιον. δέκατος. διάκονος. διάκρισις. διασαφῶ. ἕβδομος. ἐνέργεια. ἐξορκίζω. καταλλάσσομαι. μεγάλως. μηδέποτε. μιαίνω. νοῶ. νύσσω. πέμπτος (20). Denique quarti: ἀπαίρω. δαιμονίζομαι. διεγείρω. ἐλέγχω. ἑορτή. λυτροῦμαι. πατρίς. πέρας (VT. 13, 33). προτρέχω. ταχύ (10). Computatur summa 63. Verum secundo generi, item quarto nihil plane tribuendum esse apparet.[1]) At Lucae accedunt non minus quinquaginta vocabula. Velim inspicias primum qualia ea sint: numeralia ordinalia tria (πέμπτος ἕβδομος δέκατος), tum πεμπταῖος, cum δευτεραῖος alibi sit apud Lucam, porro μηδέποτε (at alibi οὐδέποτε), διάκονος (habet διακονῶ διακονία), διάκρισις (habet διακρίνω), ἐξορκίζω (habet ἐξορκιστής). Ad primum autem genus, id est ad ἅπαξ λεγόμενα intra NT., cum pertineant triginta, num is numerus nimius videri potest, cum id genus vocabula ex Actis NTo. accedant praeterea 410? Numeravi vocabula trium paginarum

1) Nisi quod δαιμονίζομαι (IV) ap. L. 8, 36 non satis firmae lectionis est; itaque fort. id verbum in II transferendum.

editionis meae minoris (p. 19. 57. 67): inveni 616, inter quae 86 formae β; itaque vel multo plus quam triginta ἅπαξ λεγόμενα ex β expectanda erant. Sed essent aliquanto plura, si ea quae nunc syriace tantum vel latine exstant etiam graecis verbis haberemus; quae particulae nunc in censum non venerunt. Ceteri quoque numeri eandem fere rationem servant: secundi generis sunt tria vocabula in β, 53 in reliquis Actis; tertii viginti in β, 394 in reliquis.

Nolo putidus videri minute ea memorando, quae de εὐθέως, τότε, ἐγένετο vel minus saepe vel frequentius in β adhibitis Corssenus observavit; profecto enim suum utrique formae concedendum est, neque est in his novi aliquid vel in α vel in β introductum.

At gravius fortasse videatur, quod de c. 9, 17 ab illo dicitur: ἐγερθεὶς ibi esse in β verbis τότε Ἀνανίας ἀπῆλθεν insertum, ut significaretur per somnium id visum Ananiae esse oblatum; perinde 16, 10 in β διεγερθεὶς addi, et ibi quidem recte, sed 9, 17 non recte. Praevidet autem ipse quid opponi possit: esse ἐγερθεὶς 9, 17 non „expergefactus", sed idem atque ἀναστάς; mavult tamen propter suas scilicet rationes pro „expergefactus" dictum intellegere, licere id quoque ratus. At ego nego licere: nempe „expergefieri" est διεγείρεσθαι, ἐγείρεσθαι autem semper „surgere". Qua de re si falsa etiam in lexicis traduntur, non ideo ipsa mutatur: etenim et hic absurdum sit vertere: *„er wachte auf und ging hin"*, et similiter apud Matthaeum 2, 13 sq. 20 sq. 8, 26. 25, 7. 26, 46. Mc. 4, 27. 14, 42. Rom. 13, 11, neque vertit ita ullo ex his locis Lutherus noster. Contra A. 16, 10 recte est διεγερθεὶς διηγήσατο τὸ ὅραμα ἡμῖν, quam ad rem surgere nihil erat opus.

Porro de loco 10, 24 sq. contra Harrisium disputans — ei enim lectio β prae altera placuerat — primum in ea re opinione labitur, quod putat sec. β v. 25 Cornelium de Petri adventu certiorem fieri antequam hic urbem sit ingressus; diverse autem rem narrari in α. Nempe coniungit προσεγγίζοντος τοῦ Πέτρου cum διεσάφησεν, cum rationi convenientius sit cum propiore προδραμών coniungere. Tum verba εἰς τὴν Καισάρειαν in β ad προσεγγίζοντος adnexa dubiae fidei sunt; omittit enim Gigas, et

poterant facile ex v. 24 repeti (α = β εἰσῆλθεν εἰς τὴν Καισ.). Itaque si sunt ea in β delenda, ne id quidem verum, ex relatione β servum praecucurrisse dum Petrus extra urbem esset, omniaque recte fiunt perspicueque narrantur. Quod autem ad α attinet, non recte ego in commentario meo dixi ὡς ἐγένετο τοῦ εἰσελθεῖν τὸν Π. (v. 25 α) esse *„cum in eo esset ut introiret P.“*; est enim id plane necessario *„cum introisset“*, scilicet *„ut dictum est Caesaream“* (v. 24 α). Itaque post Καισάρειαν 24 plene interpungendum est, sed post φίλους ibd. non plene. Quodsi genuina sunt εἰς τὴν Κ. in v. 25 β, ne sic quidem narratio nimis confunditur; erit nimirum διεσάφησεν plusquamperfecto nostro vertendum. Pugnae autem inter α et β, quam putat exstare Corssenus, certe nihil est.

Honori id adversarii tributum velim, quod tam prolixus sum in eo refellendo; sicut illum meo honori tribuisse puto similem in me refellendo prolixitatem. Affirmat igitur contra eundem Harrisium Corssenus, secundum relationem quae est in α 21, 15 sqq. Mnasonem Hierosolymis habitasse, idque verum probare conatur. Ita autem est in α: ἀνεβαίνομεν εἰς Ἱερ. — συνῆλθον τῶν μαθητῶν ἀπὸ Καισαρείας σὺν ἡμῖν, ἄγοντες παρ' ᾧ ξενισθῶμεν Μνάσωνι — γενομένων δὲ ἡμῶν εἰς Ἱερ. ἀσμένως ἀπεδέξαντο ἡμᾶς οἱ ἀδελφοί. Ex hac relatione, antequam Hierosolyma venerunt (γενομένων κτἑ.), res cum Mnasone transacta est (ξενισθῶμεν aor.). Eadem igitur narrantur in α et in β, sed in β disertius multo. Carpit autem adversarius usus occasione Lucam ipsum, qui milites cum Paulo captivo ab hora tertia noctis usque ad diluculum milia metrorum LXIII emensos esse narret (c. 23, 23. 31). Oportebat quidem non modo mensuram spatii ex commentario meo sumere, sed eiusdem ope etiam Lucanam narrandi rationem observare; neque enim hoc loco dicuntur milites mane Antipatridem venisse neque c. 17, 10 Paulus Beroeam. Neminem autem fugere potest, si in β hoc exstaret neque in α, argumento eo usurum fuisse adversarium quo fidem β formae impugnaret; nunc cum in α exstat, scriptorem arguere non gravatur.

Sequitur locus c. 18, 21—19, 1, de quo haec Corssenus disputat. Narrari in β, voluisse Paulum Hierosolyma adire

neque adisse, contra in *α*, iter aliud et ingressum esse et perfecisse, Hierosolymitani autem itineris multo post consilium cepisse (c. 19, 21).[1]) Bene facit, quod mecum negat Paulum tum venisse Hierosolyma, at minus bene, quod voluisse venire negat, confisus verbis c. 19, 21 *ἔθετο ὁ Π. ἐν τῷ πνεύματι . . πορεύεσθαι εἰς Ἱεροσ.*, quibus novum plane consilium indicari putat. Et sum ipse fortasse in culpa, qui hoc *πνεύματι* dixerim esse „*animo*“. Sed apud Paulum quidem opponuntur inter se *πνεῦμα* et *ψυχή* sive *νοῦς*, divinaque pars hominis illo nomine significatur, neque apud Lucam aliter res se habet, cuius hi conferantur loci: A. 20, 22. 17, 16. 18, 25. eu. 10, 21. Quaeritur igitur, cur non dixerit hoc loco *ἐβουλήθη* neque *ἐβουλεύσατο* neque *βουλὴν ἔθετο*, sed *ἔθετο ἐν τῷ πνεύματι*, usus vocabulo ut ita dicam sancto. Nimirum quia id iter a spiritu sancto comprobatum neque ut alia impeditum est; itaque inesse videtur oppositio ad alia itinera sive aliud iter, hoc scilicet Hierosolymitanum prius, de cuius consilio testantem habemus formam *β* 19, 1. Nondum respondisti, inquiet, ad illud quod dixi, ipsis verbis c. 19, 21 adhibitis novum consilium neque antea initum indicari. An non fuit novum? Non enim sic nude ibi dicitur, ut adhuc attuli: *ἔθετο ἐν τῷ πνεύματι πορεύεσθαι εἰς Ἱερ.*, sed est interiectum *διελθὼν τὴν Μακεδονίαν καὶ Ἀχαΐαν*, adiectum *δεῖ με καὶ Ῥώμην ἰδεῖν*; hoc igitur totum consilium et novum fuit et eventu comprobatum est, recteque dicitur *τοῦ πνεύματος* fuisse, cum de priore illo ex parte non perfecto neque in *α* neque in *β* grandiore sive sanctiore verbo Lucas usus sit.

1) Longe diversam rationem secutus Ioh. Belser (Beitr. zur Erkl. der AG., Freiburg i. Br. 1897, p. 89 sqq.), quem valde gaudeo formae R strenuissimum propugnatorem exstitisse, et adiisse putat Paulum Hierosolyma (18, 22), voti scilicet exsolvendi causa (18, 18), et iterum adire voluisse (19, 1 *β*). Vereor ne pravissime Lucam narrantem faciat et in *β* et magis etiam in *α*. Cur non scripsit (18, 22) *ἀναβὰς εἰς Ἱεροσόλυμα καὶ ἀσπασάμενος τὴν ἐκκλησίαν καὶ τοὺς (ἀποστόλους καὶ) πρεσβυτέρους* (15, 4. 21, 17 sq.)? cur (19, 1) non *πάλιν πορεύεσθαι*, sive *ἐπαναστρέφειν*? Tantis rebus gestis, si venit omnino Hierosolyma, non potuit non adire apostolos (si qui aderant) presbyterosque, qui erant et laetis animis excepturi et de multis magnisque rebus cum eo acturi; tamen de his omnibus Lucas ne verbum quidem?

Quaenam autem est ea perversitas, ex duabus formis huius scripti alteram, quam ipse fateare necesse sit neque deteriorem esse et testibus uti vel antiquioribus, velut noxae utique convincendam omni genere tormentorum vexare, ne ipse cogaris praeter traditas atque consuetas opiniones aliquid novi accipere? Non enim agitur de abolenda forma α, sed aequum utrique formae iudicium postulo. Quod quoniam recusat Corssenus, denique hoc Montanistae sui simulacrum excitavit, quod profecto terrere non potest. Quaero enim (ut iam ante significavi), num putet eundem etiam euangelii formae β auctorem esse. Quod si concesserit verisimile esse, sicut est verisimile, avolabit simulacrum σκιῇ εἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ; euangelii enim formae β testes do Marcionem et Iustinum. Si non concesserit, altero iam simulacro eoque diversam speciem gerente ad euangelium ei opus erit.

§ 10. Diversa ratione usus est qui nuper Actorum editionis minoris censuram egit, pridem maioris, homo νεανικός atque fortis Ernestus de Dobschütz.[1]) Is ne minimum quidem dubitat, quin haec Actorum forma quam edidi nusquam terrarum praeterquam apud me unquam exstiterit. *Μὴ λέγε, πρὸς Χαρίτων, τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοί:* hoc enim et ipse non modo sentio, sed dudum dixi.[2]) Itaque non est cur pugnemus; nisi forte criticus id quoque negare paratus est, tali fere forma olim Cyprianum Acta legisse, qualem hanc nunc edidi. Enixus sum quantum potui, ut Cypriani formam repraesentarem, concedo tamen id minime ubique me assecutum esse, largior de singulis quantum volet, sed de summa re non concedo. Quid igitur ille? De Cypriani forma nihil eloquitur, sed ad pugnam tamen descendit, cum haec affirmat: esse aliquando Actorum librum ab hominibus auctoritate praeditis in α formam redactum; eos homines plerumque, etsi non semper, recte restituisse quae auctor scripserit; in universum igitur praestare formam α; alteram autem refertam esse interpolationibus scribarum licentia invectis,

---

1) Lit. Centralbl. 1897 Nr. 12 p. 385 sqq., 1895 Nr. 17 p. 604 sqq.
2) Act. ed. Teubn. praef. p. XXXI.

raro boni aliquid praebere. Itaque hic quoque, sicut Corssenus, nubem pro Iunone: homines scilicet mira auctoritate praeditos, miro ut videtur ingenio, sed ignotorum ignotissimos, pro Luca. Sunt, inquit, eodem illo tempore, saeculi secundi altera parte, omnes NTi. libri et in ordinem suum et in certam quandam formam redacti, qua postea ecclesiae uterentur. Velut Isenacum, credo, nostra aetate ex tota Germania convenerunt homines auctoritate praediti, qui Lutheri versionem Germanicam forma emendatiore in ecclesiarum nostrarum usum ediderunt. Sed hos quidem nos quoque novimus, illos autem tu solus, vereorque ut usquam terrarum ei exstiterint, praeterquam apud te. Unus homo qui tale quid illis temporibus facere potuerit Origenes esse videtur; sed is si fecisset, sciremus, et si alius ante eum qua dicis aetate, sciremus et per Origenem et fortasse per alios. Manet igitur quaestio neque tua ratione solvitur, unde factum sit ut eodem tempore duae exstarent Actorum formae, quarum altera Origenes usus est, altera Cyprianus, brevior altera, altera prolixior, neque verbis tantum prolixior, sed saepe etiam sententiis, neque paucis dumtaxat locis, sed paene in singulis versibus. Si Lucas ipse in causa est, de tota re iam non est quod quaeramus, etsi de singulis, ut supra dixi, non una quaestio sed innumerae relinquuntur. Ex quibus paucas quasdam etiam hic criticus attigit, non ut solveret (quod suum non censet), sed ut mihi negotium facesseret. Dicit enim, si verum putem ἐν ᾗ ἡμέρᾳ c. 1, 2 R, sequi ut putanda mihi sit caruisse euangelii forma R omnibus eis quae ante c. 6, 12 narrantur, quasi mathematicus aliquis scriptor Lucas fuerit. Mathematicus enim si quando dicit „omnia" (sicut Lucas hoc loco περὶ πάντων), nihil plane excipi vult; at ceteri homines cum eadem voce utimur multa tacite excipere solemus; itaque etiam Lucae licuit et excipere plurima (minime enim omnia Iesu dicta factaque rettulerat), et rursus addere his illa quae ante locum illum in euangelio exstant. Tamen fortasse etiam ipse ego in culpa sim, qui non satis accurate verterim quae apud Augustinum Vigiliumque traduntur. Habent illi non *„in quo die"*, sed *„in die quo"*, i. e. graece ἐν ἡμέρᾳ ᾗ; sic igitur mihi scribendum

fuit. Nolueram vertere ἐν τῇ ἡμέρᾳ ᾗ, quia sic loqui non solent; at solent ἐν ἡμέρᾳ ᾗ sine articulo, non modo ut L. 12, 46, ubi est „in quodam die“, sed etiam ut L. 1, 25 ἐν ἡμέραις αἷς ἐπεῖδεν ἀφελεῖν κτέ., ubi purior sermo graecus articulum additum desideret. Sed est tota locutio hebraica magis quam graeca, neque dies certus et circumscriptus magis quam tempus aliquod significatur. Itaque sicut Paulus dicit (Eph. 6, 13) ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, i. e. tempore adverso, vel sicuti in VTo. est (Ier. 7, 22) ἐν ἡμέρᾳ ᾗ ἀνήγαγον αὐτοὺς ἐκ γῆς Αἰγύπτου, i. e. *illo tempore quo*, vel *tum cum*, licuit etiam Lucae scribere ἐν ἡμέρᾳ ᾗ ἐξελέξατο eodem hoc sensu; nempe durius erat scribere ut L. 1, 25 ἐν ἡμέραις αἷς, quia de certo unius diei facto agitur (L. 6, 13). Si quis autem hoc mihi opposuerit, Lucae loco hoc quo duodecim apostolorum electio narratur, non addi id quod Actorum loco additur: καὶ ἐκέλευσε κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον[1]): respondeo Lucam videri statim ab initio libri aliena aramaica interpretari, paucis de suo admixtis. Apud Marcum autem (3, 14) ipsum quod desideratur exstat: ἐποίησεν δώδεκα — ἵνα ἀποστέλλῃ αὐτοὺς κηρύσσειν (τὸ εὐαγγέλιον add. D al.). Neque recuso quod ex eis quae posui sua sponte prodire video: fuisse etiam auctoris illius quem Lucas graece vertit et euangelium et Acta, sive Marcus is fuit sive alius Marci similis. Desinemus autem, haec si acceperimus, mirari, quod idem Lucas, cuius est exordium euangelii elegantissime compositum, Actorum principium tam inconditum fecerit. — Sed ad criticum revertor, qui de c. 1, 16 sqq. agens affirmat tertiam mihi aliquam formam Actorum statuendam fuisse, scilicet non recte intellegens quae de Augustini additamento 1, 18 *„et alligavit sibi collum“* pronuntiavi. Quod non interpolatori alicui tribui, sed ipsi Lucae eiusque formae α, excidisse autem conieci apud ceteros testes per incuriam vetusti alicuius librarii, cum tot continua essent membra a καί incipientia.[2]) Quid igitur tu, haec si improbas? Estne ἔδει scribendum in v. 16, an δεῖ? eiciendane narratio quae inseritur de Iudae

---

1) Idem monet Belser (v. supra p. XXX, 1) p. 13.
2) V. autem infra.

morte, an retinenda? Ecce pedem retrahit e loco lubrico, sed id notat, quod in v. 23 *τὸν καὶ Ἰοῦστον* Augustini receperim, Cassiodori autem *τὸν καὶ Μᾶρκον* c. 15, 37 reiecerim, tanquam reicere sit non recipere, neque liceat iudici N(on) L(iquet) pronuntiare.

Tertius autem censor Actorum editionis Paulus Feine[1]) sine pugna dimittendus est, cum quamvis me carpat atque vellicet, nihil tamen ipse amplectatur. Postulat autem ut rationes aperiam, cur Lucas singulis locis praecipuis aliter in *β*, aliter in *α* scripserit; idem si quando coniecturam talem ultro se offerentem non aspernatus sum, hanc insectatur, ut plane nescias quomodo homini difficili et moroso placere possis. Cui ne id quidem apparet, quod ego sua sponte apparere putavi, aptissime Pauli nomen primum introduci (sec. *β*) A. 12, 25, hoc est in ipso principio Actorum partis secundae, ubi primum desiit Lucas alieni operis interpres esse; aptiorem locum censet eum qui in *α* primus est, positus in media aliqua narratione (c. 13, 9). Haeret praeterea in verbis *β* *Σαῦλος ὁ ἐπικαλούμενος Παῦλος*, non tamen ut doceat rectius esse *καλούμενος*, quod ab altero teste praebetur, sed ut nihil omnino definiat. Attamen in breviore quoque formula, quam c. 13, 9 scriptor adhibuit: *Σαῦλος ὁ καὶ Παῦλος*, necessarium est ut horum alterutrum mente suppleatur. Plerumque autem una est ratio eorum quae in *α* Actorum aliter atque in *β* conformata sunt: breviare voluit scriptor. Si contra res se habet interdum in capite paenultimo, id nunc monere haud inutile videtur, non iam putare me *β* formam Lucae archetypum esse, sed et ipsam ex archetypo descriptam; nolito ergo homo criticus in eo offendere, quod de Phoenice portu Cretae haec exstant in *α* neque in *β* (27, 12): *βλέποντα κατὰ λίβα καὶ κατὰ χῶρον*. Haec enim in *β* propter simile breviandi studium omissa esse videntur, ne Romanis lectoribus taedio esset regionum longinquarum minuta descriptio. In archetypo autem ita scriptum fuisse nunc putaverim: (11) *ὁ δὲ κυβερνήτης καὶ ὁ ναύκληρος ἐβουλεύοντο πλεῖν, καὶ ἐπείθετο ἐκείνοις μᾶλλον ὁ ἑκατόνταρχος ἢ τοῖς ὑπὸ Παύλου λεγομένοις*. (12) *ἀνευθέτου*

---

1) Theolog. Litteratur-Bericht 1897, 6 sqq.

δὲ τοῦ λιμένος ὑπάρχοντος πρὸς παραχειμασίαν, οἱ πλείονες ἔθεντο βουλὴν ἀναχθῆναι ἐκεῖθεν, εἴ πως δύναιντο καταχθέντες εἰς Φοίνικα παραχειμάσαι, λιμένα τῆς Κρήτης βλέποντα κτέ. Prima sunt in α in artius contracta, sed cetera ibidem servata; at in β consilium gubernatoris naucleri-que, qui in Italiam navigandum censebant, reliquorumque, qui ad alterum dumtaxat portum navigandum, in unum confusa sunt.[1])

Quid igitur a censoribus postulo? Corssenum ut imitentur, hoc est ut in res ipsas et ipsi sedulo inquirant. Communis res est, non mea; oportet ut cognoscamus quomodo factum sit, ut Actorum libri testes tantopere inter se dissiderent. Simul autem adnitendum est ut hoc ipsum etiam melius cognoscatur, quantopere inter se dissideant. Cui rei se dedit studio maxime laudabili, proventu adhuc minus laeto quam vellem quartus censor I. Schindler[2]), qui quamvis pauca scripserit, tamen multo plus temporis in his paucis consumpsisse putandus est quam ad plura scribenda sumpserunt de Dobschuetz et Feine. Ille cum videret codices quosdam ex ipsius terra, i. e. Bohemia, oriundos magnos ad hanc rem usus habere, non defugit laborem versionis bohemicae libros manuscriptos examinandi. Et invenit uno saltem loco (16, 40) in codice anno 1429 scripto lectionem β, quam testantur praeterea D Cassiodor.: *„et cum vidissent fratres, narraverunt eis quae sibi per gratiam dominus fecisset, cohortati(que) eos et profecti sunt“*. Spero fore ut idem vir doctus in aliis libris etiam plura inveniat; latet enim alicubi eiusdem versionis codex nunc ignotus, quem Tischendorfius usurpavit, item alios alibi fortasse non minus utiles latere putaverim.

§ 11. Video in molem satis amplam crevisse hunc quasi Actorum editionis epilogum; ad euangelium igitur cum redeam, ecce exoritur hominis figura Iudaeochristiani (liceat enim, quoniam res tractamus non veras, etiam vocabulo non vere latino uti), quam immittit nobis vir

1) Quod ad 1, 1 attinet, discere potuit Feinius ex Corsseni libello, ad „Cypriani“ formam recuperandam nequaquam omnibus Augustini scriptis utendum esse, sed paucis eis quae ego p. XXII, 4 commemoravi.

2) Oesterreich. Literaturblatt VI. Jahrg. nr. 6 p. 168 sq.

cum reverentia nominandus Alfredus Resch. Cui homini vasti multisque nominibus utilissimi laboris cum id maxime sit propositum, euangelium antiquissimum, Marco atque Luca vetustius, ex intimis tenebris in lucem protrahere, altiora scrutatur quam ego, qui Marcum noverim, Lucam sciam, sed hunc antiquiorem scriptorem quis sit penitus ignorem. Codici autem D etiam Reschius plurimum tribuit; Crednerum igitur ex parte secutus haec de eius originibus statuit.[1]) Primum eius archetypum fuisse codicem quattuor euangelia complexum, quae qui primus in unum corpus redegerit, homo nimirum Christianus ex Iudaeo, fortasse Aristo Pellaeus, unum Lucae euangelium mira ratione summaque audacia modo decurtaverit modo interpolaverit, usus ad interpolationes suas non Matthaeo nostro — ex quo putabamus ceteri ea additamenta per librarios lectoresve in Lucam irrepsisse —, sed antiquissimi euangelii quadam versione graeca. Et hoc quidem factum esse ante medium saeculum alterum. Deinde, cum nondum id saeculum praeteriisset, adiuncta esse quattuor euangeliis et Acta et epistulas catholicas; simul esse et Acta et iterum euangelia ab eodem genere hominum licenter interpolata.[2]) Reliqua quoque fata archetyporum codicis diligenter persequitur. Quid igitur ad haec dicendum? Primum id falsum esse videri, quod putat prius cum reliquis euangeliis Lucanum in unum corpus coaluisse quam coaluit cum Actis; luculento enim indicio, quod ipse D praebuit, comprobatum est antiquiorem Actorum cum euangelio societatem fuisse.[3]) Quid autem Iudaici insit in forma β vel huius vel illorum, Reschii certe erat nobis ignorantibus monstrare: id quod adhuc minime fecit, nisi quod in L. 3, 22 β *υἱός μου εἶ σύ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε*, Iudaicam interpolationem (Aristonis fortasse) manifesto apparere dicit. Num manifestius quam in L. 6, 4, ubi est illud insigne codicis D additamentum, sententia a Iudaismo aliena? Cur igitur potius propter illum locum

1) Aussercanonische Paralleltexte I, 25 sqq. II, 450 sqq. III, 845 sq.
2) Non plane sibi hac in re constat R.; nam III, 845 et euangelii et Actorum formam β ad eundem hominem revocat.
3) V. supra p. VI sq.

formam β ad Iudaeum auctorem revocemus, quam propter hunc ad osorem Iudaeorum? Ego autem neque ex uno aliquo loco, qui potest singularis originis esse, de reliquis innumeris atque de tota re iudicandum duco, neque omnino his quidem duobus interpolationem agnoscendam, sed manum auctoris. Video enim Reschium ipsum, ubi agit de loco Iohannis 1, 13 [1]), his eisdem testibus occidentalibus confisum veram esse lectionem pronuntiare apud hos solos, adulteratam apud ceteros omnes, gaudereque eo invento magnique id ducere. Praebent enim hi testes, id est Veronensis b et Irenaeus Tertullianusque et Iustinus, pro οἳ *οὐκ ἐξ αἱμάτων . . ἀλλ' ἐκ θεοῦ ἐγεννήθησαν* vel *qui* . . *natus est* (b) vel *natus est* omisso relativo, et id quidem etiam D Vercellensisque a omittunt, sed habent ut ceteri graeci latini syriaci omnes *ἐγεννήθησαν*. Dicit autem Reschius opus esse vel propterea ut ita legamus: ὃς . . *ἐγεννήθη*, ut recte procedat oratio; excipiunt enim haec: *καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν*. Dudum de eisdem patrum testimoniis copiose et accurate disputavit Sabatarius, neque videtur dubitari posse, quin primum pronomen relativum spurium sit (quod Tertullianus ne apud adversarios quidem Valentinianos repperit, quorum fraudi ille tribuit lectionem *ἐγεννήθησαν*), fueritque a principio asyndeton sicut vv. 9. 10. 11; deleto autem relativo facere non possumus quin recipiamus *ἐγεννήθη*, ut eius subiectum sit *Ἰησοῦς*, latens in eis quae proxime antecedunt *τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ*. Nihil tamen in his mala fide actum puto, sed ab librario socordi propter *τέκνα θεοῦ γενέσθαι* v. 12 etiam in proximo v. *ἐκ θεοῦ ἐγεννήθησαν* scriptum esse; deinde ut facile fiebat additum relativum, cum praesertim longo intervallo illud *ἐγεννήθησαν* sequeretur, ut inesset initio sententiae (*οὐκ ἐξ αἱμάτων οὐδὲ κτέ.*) aliqua difficultas haec ad subiectum suum referendi. Veniamus ad Lucae locum, in quo fit secundum plerosque testes vox illa caelestis eisdem verbis quibus apud Matthaeum (3, 17) Marcumque (1, 11), id quod est per se quodammodo suspectum: *σὺ εἶ ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός κτέ.*, diversis autem secundum D a b c, f^2 m.

---

1) Resch IV, 57 sqq.

pr., 1 r, Iustinum, Clementem Alexandrinum: *υἱός μου εἶ σύ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε.* Quid igitur est iudicis aequi? Scilicet examinare, utrum toti loco Lucano convenientius sit. Est autem manifesto hoc; nam in proximis aperte relatio fit et triginta annorum qui Iesu tribuuntur ad *σήμερον γεγέννηκά σε* et patris proavorumque eorum qui crediti sunt ad *υἱός μου εἶ σύ*; haec igitur lectio recipienda, neque ut formae β propria, sed ut unica Lucae. Quid Reschius[1])? Ait in antiquissimo euangelio procul dubio fuisse id quod est apud Marcum Matthaeumque; interpolatoris igitur esse alterum. Quid autem potest esse perversius quam hoc quod faciunt theologi, sibi sumere quod nemo testatur, unum fuisse antiquissimum scriptum, neglegere quod diserte testatur Lucas, multos de eisdem rebus scripsisse ante se? Ex quibus unus, Marcus scilicet, rettulit ut videmus, alius autem diversa, quae invenimus apud Lucam. Sed haereticorum fuit ea opinio, Iesum ab humano patre procreatum baptismo demum (*σήμερον*) filium Dei esse factum. Quid hoc ad criticum, cui lectiones sunt disceptandae? viderint theologi. Nisi quod hoc quidem etiam criticus spectare debet, ut scriptor ipse sibi constet; Lucam enim in illa opinione non fuisse declarat eius caput primum. Videamus igitur, quemnam ipse sensum illi voci tribuerit; pergit enim dicere de aetate Iesu deque proavis, quae apud Tischendorfium sic leguntur: *καὶ αὐτὸς ἦν Ἰ. ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, ὢν υἱός, ὡς ἐνομίζετο, Ἰωσὴφ τοῦ Ἠλὶ κτέ.*, sed eadem in codicibus et apud testes reliquos multifariam conversa et mutata. Primum pro *ἀρχόμενος*, quod perquam male intellegitur, Clemens Alexandrinus habet *ἐρχόμενος ἐπὶ τὸ βάπτισμα*, item Irenaeus secundum interpretationem latinam quae exstat sic legit: *ὡσεὶ ἀρχ. τριάκοντα ἐτῶν ἐρχ. ἐπὶ τὸ βάπτισμα*; denique Diatessaron operis auctor Tatianus ex Ephraemi testimonio eadem fere et legisse et scripsisse videtur.[2]) Idem *ἀρχόμενος* et sedem habet parum certam, quod solet esse indicium interpolationis, et plane abest a min. 124, ital. e f, vulgatae mt, Syr. Sin. et Schaafii, aethiop.; itaque si quis

1) III, 20 sqq.

2) Zahn, Forschungen I, 123 (*et ipse Iesus annorum erat quasi triginta, quando venit ut baptismum a Ioh. reciperet*).

contendat haesisse ἀρχ. ex interpretamento antiquissimo ἐρχόμενος ἐπὶ τὸ βάπτισμα, aegre is refelli poterit, utique postquam comparuit in codice Londiniensi (700 Greg.), teste in multis rebus singularis fidei, ipsum ἐρχόμενος, sine ἐπὶ τὸ βάπτισμα. Υἱός quoque in multis codicibus, inter quos est 700, post ἐνομίζετο exstat, sed omittitur nusquam, bisque est apud Syros, qui et hic et alibi pro „*natus annos* . .“ ex suae linguae indole „*filius annorum* . .“ habent. Num igitur hoc geminum υἱός fuit etiam apud Lucam, deditque, quia parum intellegebatur, turbarum originem? Sed certe is hebraismus aliis locis NTi non est receptus, et offerri videtur alia ratio varietatis lectionum explicandae. Deleamus primum ὤν, quod om. et D et 700, transponamusque cum eisdem plurimisque aliis υἱός post ἐνομίζετο; habebimus igitur: . . ἦν Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσήφ (cf. Epiphan. 51, c. 11), quae ita vertemus: „erat I. circiter XXX annos natus, sicut putabatur, filius Iosephi.“ Iam referetur ὡς ἐνομίζετο et ad priora et ad sequentia, neque profecto contra mentem scriptoris, qui non poterat a Paulo non didicisse, re quidem vera Christum ab omni aeternitate fuisse. Etsi enim istud σήμερον psalmi neque in Pauli oratione Antiochena (Act. 13, 33) neque in epistula ad Hebraeos scripta (1, 5. 5, 5) disertius explicatur, facillime tamen (ut equidem putaverim) ex illorum mente ad omnem aeternitatem transferebatur. Verum ne altiora attrectemus quam nobis fas est (qui critici simus, non theologi), numquam certe secum ipse pugnabit Lucas, cum idem ὡς ἐνομίζετο etiam ad υἱὸς Ἰωσήφ valere non desierit. Hac igitur posita lectione ut videtur genuina, videamus num inde cetera varietas explicari possit. Itaque cum coniungerent ὡς ἐνομίζετο cum υἱός, laborare videbatur constructio verborum; quare aut addiderunt ὤν, cui facile adhaesit υἱός sua sede relicta, aut pro ὡς scripserunt vel ὅς (r) vel ὅτι (bcf² al.), addentes simul εἶναι post ἐνομίζετο, id quod fecerunt etiam qui ὡς non mutassent, ut De. Ergo criticus suo munere ut potuit perfunctus rem theologo tradit.[1])

---

1) Genuinam hanc esse apud Lucam lectionem: υἱός μου

§ 12. Video me, dum cum Reschio ago, perductum esse ad disputandum de locis quibusdam Lucani euangelii gravioribus: quae res cum minime sit ab hac praefatione aliena, eadem via paullisper ire pergamus. Proxime excipit genealogia Lucana a Matthaei diversa, quae inde ab Iulio Africano plurimorum sagacitatem exercuit. Ea est in uno codice D ita reficta, ut cum Matthaeo consentiat, isque locus unus ex illis est, quibus possit aliquis cum Reschio opinari, auctorem lectionis *β* non ex Matthaeo nostro, sed indidem unde hic Matthaeus graecus sua derivasse. Etenim praeterquam quod D Lucae cum *α* inversum ordinem sequitur, quem ascendentem vocamus, habet etiam eos proavos, quos decurtando praeteriit Matthaeus; reges dico Ioacim sive Eliacim, Amasiam, Ioas, Ochoziam. Videntur tamen hi, neque multo negotio, e libris Regum suppleti esse, ex quibus eos etiam apud Matthaeum quidam addiderunt: nam nulla supplementa D praebet in ea parte, quae a captivitate Babylonica usque ad Christum pertinet, quam partem, si annorum spatium reputaveris sescentorum fere, etiam magis apud Matthaeum decurtatam esse apparebit. Quaternos denos enim is numerat et a Davide ad Iechoniam et ab hoc ad Christum; sunt autem a Davide ad Iechoniam anni fere quadringenti, quos complent secundum rei veritatem proavi duodeviginti; qua ex ratione debebant esse in tertia parte non minus viginti septem. Itaque ei qui haec in D intulit nullus fuit aditus ad genuinum Matthaeum eiusve auctorem, sed dumtaxat ad hunc Matthaeum atque ad Vetus testamentum, neque difficilius ille quattuor reges ex hoc addidit quam alius quidam Cainan ex LXX. Nempe hoc quoque inter D ceterosque testes interest, quod ille secundum Genesin hebraicam omittit Cainan illum, quem LXX eosque secuti ceteri Lucae codices inter Arphaxad et Sala infertum habent.[1]) Nihil enim certe librariis D codicis eiusque archetyporum cum Hebraicis

---

εἰ σύ κτέ., etiam vir summus Paulus de Lagarde acriter contendit, v. Mittheilungen IV, 308 sq., neque diversa sententia Hermanni Usener, Weihnachtsfest 40 sqq., qui testimonia omnia diligenter collegit.

1) Mire *Elam* (צילם) pro *Cainan* Syrus Sinait. (e *Thamon*).

litteris rei fuit, neque ipsi Lucae fuisse videtur, sed fuisse huius auctori, quem eundem illum esse putaverim, cuius de natalibus Iohannis Christique narrationem in capite primo Lucas expresserit (v. § 8). Aliquanto plus dubitationis habet alius locus Lucanus, qui est c. 11, 1 sqq. Ibi D non solum cum aliis orationem dominicam ad Matthaei modum supplet atque refingit, sed etiam haec ei praemittit solus (v. 2): (ὅταν προσεύχησθε), μὴ βαττολογεῖτε ὡς οἱ λοιποί· δοκοῦσιν γάρ τινες ὅτι ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν εἰσακουσθήσονται· ἀλλὰ προσευχόμενοι (λέγετε κτέ.). Quibus haec respondent apud Matthaeum (6, 7): (προσευχόμενοι δὲ) μὴ βατταλογήσητε ὥσπερ οἱ ἐθνικοί (B Syr. Cur. ὑποκριταί, e vv. 2. 5)· δοκοῦσιν γὰρ ὅτι ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν εἰσακουσθήσονται. μὴ οὖν ὁμοιωθῆτε αὐτοῖς· οἶδεν γὰρ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὧν χρείαν ἔχετε πρὸ τοῦ ὑμᾶς αἰτῆσαι αὐτόν (at D ital. h ἀνοῖξαι τὸ στόμα). οὕτως οὖν προσεύχεσθε ὑμεῖς κτέ. Suntne igitur haec, quae Lucae addit D, e Matthaeo interpolata? At negat non modo Reschius, sed etiam Nestlius[1]); unde enim sumpsit interpolator λοιποί pro ἐθνικοί sive ὑποκριταί? unde τινες? Neque si de orationis dominicae forma, qua est et in D et in aliis plurimis, dubitari non potest quin Matthaeo ea debeatur, ideo non iam quaerendum est de hoc additamento, quod in D solo exstat. Multa autem disputata sunt et Nestlio et aliis contra eum de semitico quodam vocabulo (חברים), num id et λοιποί esse possit et ἐθνικοί: qua de re cum ne Nestlio quidem ipso plane constet, nolimus disceptare quae nostrum utique iudicium superant. Sed ponamus iam, esse hanc formam β, auctam per scriptorem ipsum vel ex archetypo suo vel aliunde, videamusque quid inde sequatur. Num turbabitur loci concinnitas? At erit apta haec praefatio orationis dominicae, magis etiam brevioris huius formae quam Lucas habet. Οἱ λοιποί autem conferri potest cum Pauli verbis I. Thess. 4, 13 ἵνα μὴ λυπῆσθε καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα; item conferas eiusdem I. Cor. 15, 34: μὴ ἁμαρτάνετε· ἀγνωσίαν γὰρ θεοῦ τινες ἔχουσιν. Quod autem οἱ λοιποί

1) Resch III, 226 sqq. Nestle, Philologica sacra 27 sqq. Einf. in d. N. T. 106 f.

apud Lucam est neque οἱ ἐθνικοί, id suas rationes habet easque valde luculentas. Rogavit Dominum secundum Lucam discipulus quidam, ut doceret suos precandi quandam formulam, perinde ac fecerit Iohannes Baptista. Respondet Iesus primum hoc: μὴ βατταλογεῖτε ὡς οἱ λοιποί. Quinam igitur ei sunt? Nimirum et Pharisaei et discipuli Iohannis. Quod si cui videatur durius, meminerit quaeso illius loci Lucani (5, 33), ubi dicunt ad Iesum: οἱ μαθηταὶ Ἰωάνου νηστεύουσιν πυκνὰ καὶ δεήσεις ποιοῦνται; nempè hoc δεήσεις ποιοῦνται, quod neque apud Marcum est neque apud Matthaeum, aliunde ex sua scientia Lucas adiecit, congruenter videlicet cum hoc loco de quo agimus. Itaque in hoc codicis D additamento Lucae manus neque interpolatoris agnoscenda est.[1]) Sed cur ea absunt ab A forma? Conicias veritum esse Lucam, cum in Palaestina haec scriberet, ne Iohannis discipulorum animos offenderet; at cum Romae iterum eadem scriberet, non erat cur iterum omitteret. Itidem non sine causa omissus est locus ille c. 6, 5 β in editione A, quippe qui Iudaeos vehementer offendere posset, additus autem Romae, ubi nihil erat tale timendum. Ceterum erit nobis locus capitis 11. unus ex eis, quos ad communem Matthaei Lucaeque auctorem graecum referendos esse supra (§ 6) statuimus. Namque πολυλογία nusquam praeterea est in NTo, βατταλογεῖν ne apud profanos quidem; congruunt etiam δοκοῦσι γὰρ κτέ. ad verbum (nisi quod τινές a Matthaeo omissum est); adde quod in oratione dominica quae excipit habet uterque ἐπιούσιος vocabulum, omnium fortasse quae sunt in NTo difficillimum et quodammodo maxime notabile.

Ipsam vero orationem dominicam apud Lucam vel invito codice D diversam a Matthaeo formam habere sinemus, immo reddemus Lucae formam suam invitis etiam Vaticano ceterisque. Nempe antiquitus etiam plus, quod ad hanc orationem attinet, inter utrumque euangelistam interfuit quam vulgo creditur; testati enim sunt Gregorius

1) Marcion num haec habuerit discerni nequit; id tantum videmus, respicere Tertullianum et priora et sequentia, haec non respicere.

Nyssenus Maximusque Confessor, pro ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου apud Lucam esse ἐλθ. τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς καὶ καθαρισάτω ἡμᾶς. Cuius lectionis vestigia in ipso D dudum agnoverunt viri docti[1]); additur enim ibi ante ἐλθ. ἡ βασιλεία σου illud ἐφ' ἡμᾶς, quod nunc quoque, nescio an fortuita congruentia, in quibusdam Germaniae partibus eodem loco addi solet. Alium iam testem ipsius lectionis Gregorianae nacti sumus codicem min. 700 (saeculi XI, Londinii exstantem), qui et ipse pro ἡ β. σου habet τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς καὶ καθαρισάτω ἡμᾶς. Denique similia praebebat Marcionis euangelium haereticum, quod Lucanum decurtatum fuit; sed eius rei testis Tertullianus dubitare non sinit, quin ibi ea verba fuerint pro ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου, sequentibus ut vulgo ἐλθέτω ἡ βασ. σου.[2]) Vincunt autem alteri testes et numero et auctoritate maximeque eo, quod maior est secundum eos cum vulgata lectione congruentia. Lucas igitur, id quod etiam Reschius[3]) opinatur (etsi dissentit Theodorus Zahn), ea scripsit quae testatur Gregorius, neque modo in R (cuius non est Gregorius testis, neque saepe codex 700), sed in utraque forma euangelii; vulgaris autem lectio e Matthaeo invecta est, idque iam ante tempora Marcionis, in cuius exemplo Lucae utraque infuit. Idem exemplum alia quoque continebat a Luca aliena, ut erat consentaneum primis quibusque temporibus maxime inter se euangelia contaminari, docetque Marcionis res tam multa de vetustis huius euangelii eiusque Romanae formae fatis, ut diligenter ea nobis consideranda et examinanda sit.

§ 13. Marcion Sinopensis Romam venit anno fere 137 vel 138, princeps sectae propriae exstitit ibidem a. 144, cui sectae per annos proximos libros proprios sacros composuit, usus ad euangelium suum euangelio Lucano, ad „apostolum" suum Paulinis epistulis. Mansit secta eius per longum tempus, scripseruntque complures contra

1) Sanday ap. W.-H., quem impugnat Chase in Texts and Studies edited by J. A. Robinson I, 3, 35.
2) Zahn, Gesch. des neut. Kanons II, 2, 472.
3) Resch III, 234.

illum discipulosque, sed quorum scripta aetatem tulerint maxime hi tres: Tertullianus Epiphanius auctorque dialogi „de recta in deum fide,“ Adamantius vulgo dictus. Ei cum satis multa e libris sacris Marcionitarum attulerint, restituere ex parte eos libros conati sunt cum alii tum Theodorus Zahn.[1]) Plurima praebet Tertullianus; Epiphanii excerpta neque multa sunt neque ampla neque cum cura facta; Adamantius locos quosdam affert interdum longiores. Apparet igitur Marcionem summa licentia usum e Luca Pauloque passim resecuisse quae cum suis placitis non convenirent, ea maxime quae Iudaismum saperent; sed mutasse non multa neque de se quicquam adiecisse, sed si qua, de Matthaeo euangelistisque ceteris mutuatum. Sunt igitur reliquiae euangelii Marcionei fere totidem fragmenta Lucani, quale id ante medium saeculum alterum Romae exstitit. Iam id mihi minime opus est probare, quod et statim manifestum fit et dudum agnitum est, apparere in universum in Marcionis euangelio Lucani formam Romanam, quam testantur D sociique. Verum eos locos, qui contra facere videntur, colligere iuvat. C. 5, 10 Iesus sec. De ad Simonem Iohannem Iacobumque: *δεῦτε καὶ μὴ γίνεσθε ἁλιεῖς ἰχθύων· ποιήσω γὰρ ὑμᾶς ἁλιεῖς ἀνθρώπων*; sed Marcion Tertulliano teste[3]) ut *α* Dominum ad Petrum dicentem facit *μὴ φοβοῦ· ἀπὸ τοῦ νῦν γὰρ ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν*. Lectio De non caret suspicione: compara Matthaei haec (4, 18 sq.) sec. Syrum Sin.: *ἦσαν γὰρ ἁλεεῖς ἰχθύων* (add. Syr.). *καὶ λέγει αὐτοῖς· Δεῦτε ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑμᾶς ἁλεεῖς ἀνθρώπων.* Accedit quod minime perspicitur, cur Lucas in *β* tantopere ab *α* recesserit. At in proximo versu Marcion prope ad De accedit. C. 6, 17 D *ἀπὸ πάσης (τῆς) Ἰουδαίας καὶ ἄλλων πόλεων ἐληλυθότων*; contra *α*: *ἀπὸ π. τ. Ἰ. καὶ Ἰερουσ. καὶ τῆς παραλίου Τύρου καὶ Σιδῶνος, οἳ ἦλθον.* Tertullianus ex Marc. libere affert: *conveniunt a Tyro et ex aliis regionibus, multitudo etiam transmarina.* Sed hoc quoque loco D vix est testis sincerus lectionis *β*. Nempe et $\aleph^{1}$, qui

---

1) Zahn l. c. II, 2 p. 409 sqq.
2) Zahn ibd. I, 674 sqq.
3) Tert. adv. Marc. IV, c. 9.

saepe pro β testatur, hic cum cetera habeat ut α inserit tamen *καὶ Πιραίας* (= *Πειραίας*, *Περ.*) post *Ἰερ.*, et italae plerique ibidem similiter *„et trans fretum“*, neque apte in D coniungitur *Ἰουδαίας καὶ ἄλλων πόλεων*, nulla plane urbe nominata. Quidni igitur Marcionem potius ceterosque secuti in β sic scribimus: *ἀπὸ πάσης τῆς Ἰουδαίας καὶ Περαίας καὶ Τύρου καὶ ἄλλων πόλεων* (Dce goth.; sed *τόπων* Marci. armen.) *ἐληλυθότων*? Facile ex enumeratione duo membra exigua excidebant, genuinumque esse *Περαίας* Marci locus (3, 8) probat, ubi est *καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου.*[1]) Itaque hoc quidem loco Marcion cum β facit, non cum α. — C. 7, 26. 28 Marcion sec. Tert. IV, c. 18 non discessit ab α; D autem (cum a italae) priorem partem v. 28 in v. 26 transponit; itaque habet v. 28 *λέγω δὲ ὑμῖν*, atque hoc consentientibus min. 13. 69. 124 (qui Ferrariani dicuntur) et italae plerisque. Cum ratio non appareat, cur Lucas in R aliter scripserit atque in A, videndum ne sit vulgaris ordo ad Matthaei similitudinem (11, 9. 11) antiquitus interpolando inductus, nisi gravior corruptela est, ex eodem assimilandi studio orta. — C. 11, 27 Tertull. c. 26 *exclamat mulier de turba*, = α *ἐπάρασά τις φωνὴν γυνὴ ἐκ τοῦ ὄχλου*; at De *γυνή τις ἐπ. φ.*, omissis *ἐκ τοῦ ὄχλου*. Quae verba cum etiam apud alios testes (KΠ 1) sede mota sint (*γυνὴ ἐκ τοῦ ὄ. φωνήν*), videntur mihi interpolatoris esse, cf. 9, 38. 12, 13. 19, 39. — C. 12, 58 D ital. *μή ποτε κατακρίνῃ σε πρὸς τὸν κριτήν*; sed Marcion teste Epiphanio *κατασύρῃ* ut vulgo. Dein *ὁ κριτής*, quod omittit Syrus Sinaiticus, et praebet Epiphanius et Tertullianus agnoscit; verborum autem ordo qui est in D it. (*παραδώσει σε*) etiam apud Epiphanium exstat. His profecto omnibus non multum tribuendum; neque enim Epiphanii codices plane nobis sunt pro ipso Marcione. Haud plus valet, quod c. 16, 18 verba *ἀπὸ ἀνδρὸς* Tertulliani (c. 34) testimonio fulciri videntur; possunt enim nihilominus spuria esse recteque, et quod ad R et quod ad A attinet, a D aliis omitti.

---

1) Ita eam terram vocant Marcus Matthaeus Iohannes; apud Lucam nullo praeterea loco commemoratur. *Περαίαν* dicit Iosephus.

Id igitur equidem ex omnibus collegerim, fuisse formae Romanae exemplaria illo quidem tempore satis sincera neque cum A multum contaminata. An opponetur mihi locus c. 6, 5, qui est de homine sabbato opus faciente, D codicis proprius? Eius enim nullum prorsus est apud Marcionis testes vestigium; attamen si repperisset ille eum locum Iudaeis vehementer adversum, videtur recepturus fuisse, neque adversarii Marcionis, si eum apud illum deprehendissent, de tali interpolatione tacituri. Atque hoc quidem satis certum est, verum illud prius non item. Conveniebat cum Marcionis placitis *εἰ μὲν οἶδας τί ποιεῖς, μακάριος εἶ*, sed vix conveniebat alterum: *εἰ δὲ μή, ἐπικατάρατος καὶ παραβάτης εἶ τοῦ νόμου*. Incertum igitur manet, utrum Marcion hunc locum in suo Luca non invenerit, an inventum sicut sescenta alia non receperit. Si non invenit, hoc scilicet dicendum: ab antiquo tempore magni interfuisse Romanae ecclesiae antistitum, nequid apud se a communibus Christianorum sacris abhorreret; itaque de eius euangelii sui particulis, quae et spuria videri et offensioni esse possent, aequo animo auctoritati orientis iam ante Marcionis tempora eos cessisse.

§ 14. Similiter autem res se habet de loco omnium et longissimo et gravissimo, qui est de muliere adultera: non habuit eum Marcion[1]), sed ignorasse non potest affirmari, quoniam is locus non modo legi Iudaeorum destruendae adhiberi poterat, sed etiam licentiam quandam adulterii dare videbatur. Quid ei loco cum Luca? inquies; nonne is Iohannis est sive esse traditur? Traditur sane; sed falso tradi dudum omnes fere consentiunt; exul igitur ab Iohanne, neque immerito exul, patriam sedem quaerit, quam apud Lucam circa extremum caput vigesimum unum invenire videtur, adiuvantibus et monstrantibus codicibus minusculis quibusdam e Calabria oriundis, qui communi nomine Ferrariani dici solent. Ei enim pericopam illam, quae in D, G, H, aliis multis graecis, tum italae quibusdam, vulgata, Syro Hierosolymitano, apud Iohannem 7, 53—8, 11 legitur, ab ℵABCL

1) V. Tert. c. Marc. IV, c. 39.

aliis graecis latinis syriacis omnino abest, denique in min. 1 aliisque quibusdam ad finem euangelii Iohannei reiecta reperitur, post Lucae c. 21, v. 38 insertam habent. Sunt autem codices Ferrariani fide haud indigni, ab Italica stirpe non prorsus degeneres (quam ob rem nobis postmodo de eis agendum erit), et est utique eorum indicium dignum quod sedulo examinetur. Etsi sic collocata, ut illi eam pericopam apud Lucam habent, manifesto manere nequit. Quis enim haec ferat: *καὶ πᾶς ὁ λαὸς ὤρθριζεν πρὸς αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ ἀκούειν αὐτοῦ* (L. 21, 38). *καὶ ἐπορεύθη ἕκαστος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ· Ἰησοῦς δὲ κτἑ.* Sed monuit me Ernestus Lippelt, cuius sagacissimam observationem inter prima huius praefationis commemoravi, adesse pericopae exulanti indicia insignia, quae veram eius sedem et apud Lucam et in ipsis his eius partibus fuisse demonstrent, sermonem prorsus Lucanum, rerum cum eis quae his versibus narrantur summam similitudinem. Sic igitur statuendum videtur. Initium pericopae e Iohannis loco illo, in quo tam diu mansit, corruptelam quandam traxit; legitur enim sic: *καὶ ἐπορεύθη(σαν) ἕκαστος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ. Ἰησοῦς δὲ ἐπορεύθη εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν*, in quibus vehementer displicet *ἐπορεύθη* intra breve spatium repetitum. Sed si deleveris verba ab *ἕκαστος* ad *ἐπορ.* alterum, quibus effectum est ut pericopa loco Iohanneo aliqua ratione convenire videretur[1]), habebis quae post versum Lucae 36 transposita longam orationem de Hierosolymorum excidio deque die novissimo commodissime excipiant: *καὶ ἐπορεύθη εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν· ὄρθρου δὲ πάλιν παρεγένετο εἰς τὸ ἱερόν, καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἤρχετο πρὸς αὐτόν κτἑ.* Neque minus commode absoluta hac narratione scriptor perget (L. v. 37): *ἦν δὲ τὰς ἡμέρας διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ, τὰς δὲ νύκτας ἐξερχόμενος ηὐλίζετο εἰς τὸ ὄρος τὸ καλούμενον ἐλαιῶν, καὶ πᾶς ὁ λαὸς ὤρθριζεν κτἑ.* Nam etsi eadem fere iterantur, tamen et de omnibus iam diebus noctibusque dicuntur quae ante de una nocte dieque, et simul ut conveniebat paullo plenius, haud absimiliter atque fit in Act. β 15, 41.

1) Caret fere eis verbis Corbeiensis f^2 pr., qui hoc habet pericopae initium: *Iesus autem adscendit in montem oliveti.*

16, 4. In verbis autem singulis haec sunt Lucana. Ὄρθρου I. 8, v. 2, cf. L. 24, 1 ὄ βαθέως (sicut hic U al.). Act. 5, 21 (nusquam praeterea NT.). Ibd. καθίσας ἐδίδασκεν αὐτούς, cf. L. 5, 3 καθίσας δὲ — ἐδίδασκεν τοὺς ὄχλους. A. 16, 13. V. 3 στήσαντες αὐτὴν ἐν μέσῳ Act. 4, 7. V. 4 sec. U al. ταύτην εὕρομεν, ut L. 23, 2 τοῦτον εὕρομεν. A. 24, 5. V. 6 ἵνα ἔχωσιν (εὕρωσιν al.) κατηγορεῖν (al. κατηγορίαν) αὐτοῦ (al. κατ' αὐτοῦ), cf. L. 6, 7 ἵνα εὕρωσιν κατηγορεῖν (al. -ίαν, -ῆσαι) αὐτοῦ (al. κατ' αὐτοῦ). 11, 54 D ἵνα εὕρωσιν κατηγορῆσαι αὐτοῦ. D haec in v. 4 inserta habet, et pro πειράζοντες Lucanum ἐκπειράζοντες (10, 25; praeterea I C. 10, 9 et VT.). V. 7 ὡς δὲ ἐπέμενον ἐρωτῶντες, cf. A. 12, 16 ἐπέμενε κρούων. L. 11, 8 β. Ibd. ἀνακύπτειν Lucanum, 13, 11. 21, 28. V. 9 ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι (om. haec D al.) cf. A. 23, 1. 24, 16 (συνείδ.). L. 3, 19 (ἐλεγχόμενος ὑπὸ). Ibd. ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶν — ἕως τῶν — (ἕως τῶν — om. D al.) cf. L. 23, 5. 24, 27. 47. A. 1, 22. 8, 35. (10, 37). V. 11 ἀπὸ τοῦ νῦν (om. EFG al.) Lucae Paulique proprium, L. 1, 48. 5, 10. 12, 52. 22, 18. A. 18, 6 (II Cor. 5, 16). Neque si qua sunt in pericopa singularia, ut (κατα)λαμβάνειν sensu deprehendendi, ἐπ' αὐτοφώρῳ, ἀναμάρτητος, καταγράφειν, εἷς καθ' εἷς (sed haec duo non in omnibus), suspicionem ea movere possunt, cum ubique apud hunc scriptorem talia inveniantur, quae praeterea vel nusquam in NTo. vel apud ipsum Lucam nusquam sint. Itaque postquam pericopa causam suam satis probavit, estne quominus secundum petitionem iudicetur? Sed videtur esse; nondum enim examinatae sunt rationes exilii quo multata est; audiatur igitur et altera pars. Satis quidem constat, si ab origine et in A pericopa fuisset et in R, nunquam futurum fuisse ut tanto consensu expelleretur, neque vero si in A fuisset, etsi non in R. Alia prorsus est testimoniorum ratio de versibus c. 22, 43sq., qui si sunt propter offensionem quae inesse videbatur a quibusdam patribus deleti et in Ferrarianis quos dixi in Matthaeum reiecti, nihilominus apud plerosque testes locum tenuerunt, sicuti etiam ea, quae c. 9, 54—56. 23, 34 quibusdam displicuerunt.[1])

1) Locus 22, 43 sq. et alios testes orientis habet et cum א[1]

At haec pericopa antiquo quidem loco Lucano in nullo omnino codice legitur, apud Lucam in paucissimis, nempe Ferrarianis illis, quibus accedit unius euangelistarii testimonium, adscriptum habentis ἐκ τοῦ κατὰ Λουκᾶν.[1]) Praeterea ignorant eam Marcion Tertullianusque, ignorant omnes patres vel graeci vel latini saeculo quarto antiquiores[2]); quarto quoque et deinceps pergit ignota esse orienti, quamquam est iam nota Ambrosio Hieronymo Augustino. Sed nimirum quia unius formae R propria fuerat, afuerat semper ab altera, ideo et in suspicionem et in damnationem incucurrerat, eo quidem magis, quo magis et ambitu et rebus et sententiis conspicua est. Sic igitur statuentes, ut sit communis fere causa et huius pericopae et illius additamenti quod c. 6, 5 habet D, optime explanatum habebimus et quod mature haec e Luca perierunt, et quod emerserunt ex occidente, ubi delituerant, et quod in A numquam recepta erant, scilicet quia Lucas videbat ea legi Moysis Iudaeisque adversa esse et vehementer eos offensura; itaque ab ea sui libri forma, quam Palaestinae Syriaeque destinaverat, procul habere maluit. Verum fata pericopae satis mira vixdum attigimus. Cur non omnino periit? Videlicet quia non defuerunt ei unquam amici, qui eam etsi loco suo eiectam tamen in extremo euangelio tanquam appendiculam aliquam tolerarent, donec saeculo fere tertio inventus est, qui in proximo Iohannis euangelio novam ei sedem assignaret. Quod ut faceret coniectura ductus esse videtur; sequuntur enim apud Iohannem post paucos versus haec (8, 15): ὑμεῖς

---

ipsum ℵ^c, tum Arium, Chrysostomum, alios; similiter 23, 34 verba ὁ δὲ Ἰησοῦς ἔλεγεν κτἑ., et illa quae 9, 54 sqq. in ℵB al. omittuntur, minime carent testibus orientalibus. Non igitur fuerunt haec formae R propria, neque vero spuria esse possunt. At ne casu quidem videntur omissa esse; reliquum igitur est ut in theologos culpam coniciamus. Quod enim ad 23, 34 attinet, facile qui legisset v. 28 sqq., in quibus poena sceleris adnuntiatur, offendebat in 34 πάτερ ἄφες αὐτοῖς, si quidem ea verba ad auctores Iudaeos neque ad ministros milites referebat. Quae enim precatus est Iesus, eadem etiam exaudita sunt; quae autem exaudita, etiam facta; pugnare igitur hoc dictum cum illis videbatur.

1) Euangelist. 435, exstans Athenis.
2) V. Tschd. et. W.-H.

κατὰ τὴν σάρκα κρίνετε, ἐγὼ οὐ κρίνω οὐδένα, similia quodammodo eis quae sunt in pericopa. Quae postquam semel novam sedem occupavit, tam firmiter eam tenuit et tantopere favore et existimatione crevit, ut ne Hieronymus quidem, cum cetera versionis latinae ad normam graecorum librorum exigeret, hanc pericopam rursus exturbare auderet. Quin illa occidente subnixa orientem quoque sibi denique acquisivit, estque hodie multis partibus Novi Testamenti longe notior atque clarior. Forma autem eius ex sede Iohannea aliquantum traxit, primum quidem illa verba, quorum ope Iohannis narrationi adnexa est, tum alia quaedam, etsi non secundum omnes testes, velut quod in D est v. 9 ἕκαστος τῶν Ἰουδαίων, ex more Iohannis, et in multis v. 6 τοῦτο δὲ ἔλεγον ex eiusdem. Quod autem tantum nunc in hac pericopa variae lectionis est, quantum haud scio an in nullo alio NTi. loco, id ex illo infausto exilii tempore remansisse videtur, per quod male habita et neglegenter descripta est, quod idem fere multis Actorum particulis accidit, quae cum β formae tantum essent, saepe in librorum margines relegatae et inter describendum et corruptae et multifariam truncatae sunt. Itaque ego sicut in his etiam in hac pericopa plenissimam quamque lectionem integerrimam duxi. Denique quod attinet ad Ferrarianos codices, putaverim in eorum archetypum aliquod pericopam ex Iohanne redisse; est enim etiam secundum hos interpolatione illa aucta, qua Iohanni olim aptata est. Adscripserat, puto, quidam in margine exemplaris antiqui ad caput hoc Lucae extremum: ἐνταῦθα τὰ περὶ τῆς μοιχαλίδος; obsecutus alius ex Iohanne ea apposuit; inde a librariis inter verba Lucae recepta sunt, sed et aucta neque iusto loco.

§ 15. De Marcionis autem euangelio, a quo sumus egressi, si quis cetera cognoscere cupiat, inveniet apud Theod. Zahn, nisi quod ille vir doctus Tischendorfii apparatu utens consensum cum italae codicibus non semper cognoscere potuit. Videbit iam illo tempore Lucae verba adfecta fuisse ea labe, quae ex Matthaei Marcive contaminatione fluxit, unde saepius colligitur etiam D codicem cum Marcionis testimonio congruentem, etsi falsa, tamen

antiqua traditione uti. Haec igitur cum praeterire possim, aliae duae res occurrunt mihi non silendae, ex quibus una haec est. Scimus Marcionem et Pauli epistulas et hoc euangelium passim summa licentia mutilasse; itaque si quos ille versus Lucae omisit, nihil ei rei tribuere solemus. Et merito quidem; quis enim putet fuisse veri Lucae aliquod exemplum, quod neque de ingressu sollemni, quo Iesus Hierosolyma ultimum introiit, quicquam continuerit, neque de Petro servi auriculam gladii ictu abscidente? Verum diversa quoque ratiocinandi via uti licebit. Verbum si quod omisit Marcion, dummodo ne appareat causa cur omiserit, vel a Luca vel certe a forma R abiudicabimus. Versus integros quosdam et D omisit et alii R formae testes; non recipiemus in R. Verum sicubi Marcion sive unum versum omisit sive duos pluresve continuos, neque adest ei alter testis, ibi testimonium omnium antiquissimum semperne nos neglegere posse putabimus? At est ubi his omissis conexus totius loci restituatur, qui manentibus eisdem fere nullus sit. Verbo moneo, clarissimum virum Hermannum Usener vel capitis 4 formae mutilatae, qualem Marcionis euangelium praebuit, patrocinatum esse[1]; ipse vero in his pergo cum ceteris haeretici licentiam agnoscere. Sed negari non potest, si omittantur c. 10 v. 12—15, quos Marcionem omisisse probavit Th. Zahn, ea removeri quae (praeter v. 12) ab huius loci sententia prorsus aliena sint. Et versus quidem 13—15 totidem fere verbis sunt apud Matthaeum. Item 11, 49—51 si cum Marcione omiseris, conexum meliorem habebis, neque 12, 6—7 omissos desiderabis, causam autem cur hos quidem Marcion deleverit nullam invenies. Tum 12, 49 *καὶ τί θέλω εἰ ἤδη ἀνήφθη* non ille solus omisit, sed etiam italae e; itaque quod Marcionis euangelium etiam v. 50 caruit, num pro certo habebimus hoc illius licentia factum esse? Sed illis prioribus semotis hic stare non poterit, emergit autem, si varia testimonia composueris, totius loci forma altera brevior, in qua nihil fere vituperare possis. Primum versui 49 accedunt ex X, italae e aliis, verba *οὐκ οἴδατε*

1) H. Usener, Weihnachtsfest p. 80 sqq.

ὅτι, quae cum δοκεῖτε ὅτι v. 51 bene congruant. Quae verba a Marcionis euangelio afuisse non mihi videtur e Tertulliani silentio[1]) recte colligi posse; si autem afuerunt, contaminato exemplo Marcion usus esse probatur. Tum in v. 51 ἐν τῇ γῇ non habet italae e, quae molesta sunt omisso v. 50, manente autem vel proba vel necessaria. Hunc quidem versum Marcion admixta Matthaei forma exhibet (Mt. 10, 34): δοκεῖτε ὅτι ἦλθον εἰρήνην βαλεῖν ἐπὶ τὴν γῆν; Tertullianus vero in suo exemplo Lucae ex eodem Matthaeo etiam μάχαιραν pro διαμερισμόν habuit.[2]) In his igitur sum equidem coniunctis Marcionis Latinorumque testimoniis obsecutus; sed deficientibus Latinis nihil ausus sum, ne c. 17, 7—10 quidem, quamquam ei quoque versus cum proximis nihil commune habent. Neque facile audeas aliquid praeter unum locum 12, 49 sqq., quamquam negare non possis minime necessarium esse, ut omnibus reliquis Marcionis temeritas in culpa sit. Sed num vel 12, 49 sqq. vel alio aliquo ex his locis sunt in Lucam tot verba sententiaeque continuae post Marcionem male illatae? Non id dico, sed formarum duarum differentiam agnosco. At est integrior antiquiorque α; unde igitur hoc, quod pristina β habere videtur? Verum ne id quidem explicatione carebit. Fac enim ipso loco 12, 49 sqq. ab initio sic scripsisse Lucam ut putamus in β fuisse; postea autem invenisse sententiam priorem, quae est de igne, apud alium auctorem forma locupletiore quae est in α; adscripsit igitur hanc locupletiorem in margine archetypi sui; inde recepit in α, sed postea, β cum scriberet, breviorem rursus amplexus est. Non affirmo sic factum esse; sed in avia certe non evagamur, cum statuimus Marcionis tali testimonio aliquando nos recte obsequi.

Sed altera quoque res est prope coniuncta, quam non magis mihi videor hoc loco praetermittere posse. Est fere Marcionis testimonium, sicut modo dixi, inter antiquissima

---

1) Tert. c. Marc. IV, c. 29: *Proclamat Christus tum: „ignem veni mittere in terram.“*

2) Ibd.: *„Putatis venisse me pacem mittere in terram? Non, dico vobis, sed separationem.“ „Machaeram“ quidem scriptum est, sed Marcion emendat.*

quae exstent; itaque si Pauli res agatur, non Lucae, vel si Iohannis sive Marci, nonne id testimonium maximi nobis faciendum sit, ad recuperandum verum Paulum Iohannem Marcum, non aliquam eorum formam?[1]) Idem in Luca plurimum valere debet, quo dignoscamus verum Lucam ab eis qui illum corruptelis interpolationibusque infecerunt. Qui quin fuerint non magis dubitari potest quam in aliis euangeliis, cumque sit nunc apud Lucam innumera vis verborum inutilium, existimandum est magnam utique eorum partem interpolatoribus deberi, non scriptori. Iam sicubi aliquod verbum tale Marcionis testimonio convincitur: putabimusne lectionem eo verbo carentem formae Romanae propriam esse? At si Marcus esset vel Matthaeus, pro sola genuina eandem haberemus, item si Demosthenes vel alius e scriptoribus Graecis Romanisque: quos scimus per librarios lectores interpretes multifariam auctos esse vocabulis quae ad integritatem sententiae conferre viderentur. Erit igitur cavendum, ne postquam cognovimus fuisse duplicem Lucani operis formam, ea re abusi scriptori attribuamus quae aliorum sunt. Atque haec est in hac editione vel maxima omnium difficultas, praesertim cum ne id quidem affirmare possis, nullum unquam verbum inutile Lucam posuisse, neque vero nihil unquam vel a Marcione vel ab huius testibus vel in D italaeve libris perperam omissum esse. Solacio autem hoc unum est, quod eo fere esse solet difficilius iudicium, quo quaeque res magis pusilla est, quo autem maior res, etiam iudicium minus difficile. Verum ut clarius perspiciatur, quid sibi in Luca librarii interpretesque permisisse possint, utile erit cetera euangelia examinare; nam in uno Luca eos plus sibi sumpsisse licentiae quam in reliquis tribus non sane probabile est.

§ 16. Itaque in Iohannis euangelio — id ut primum

---

1) Insigniter opitulari videtur Marcion loco vexatissimo Rom. 2, 16. Eum locum et Adamantius (p. 824) affert omissis primis verbis, quae in nostris codd. non eadem forma traduntur (*ἐν ἡμέρᾳ ὅτε*, *ἐν ᾗ ἡμ.*, *ἐν ἡμ. ᾗ*), neque Tertullianus (c. Marc. V, c. 13) eorundem verborum ullam rationem habet. Erit autem deletis eis locus planissime atque optime constitutus: *κρινεῖ ὁ θεὸς κτέ.*, ut sint *ἀσυνδέτως* haec illata, sicut c. 1, 22. 7, 24. 8, 16 al.

excutiatur — ingens vis variae lectionis deprehenditur, maior ea quidem in narrationibus quam in orationibus[1]), ut appareat fuisse qui id euangelium adscriptis suis interpolationibus etiam planius reddere studuerint. Sic in narratione quae est de aqua in vinum conversa (c. 2, 1—10) haec sunt quae propter dissensum testium spuria videri possint: nihil enim nunc affirmo, sed id dico, posse et haec spuria esse et si qua sunt similia apud Lucam similique dissensu tradita. V. 2 *καὶ οἶνον οὐκ εἶχον, ὅτι συνετελέσθη ὁ οἶνος τοῦ γάμου*, vel secundum alios *καὶ ὑστερήσαντος οἴνου*, vel (el) *καὶ ἐγένετο διὰ πολὺν ὄχλον τῶν κεκλημένων τὸν οἶνον συντελεσθῆναι*. 5[2]) *καὶ προσκαλεσαμένη τοὺς διακόνους* (e, qui pergit *ἡ μήτηρ τοῦ Ἰ. εἶπεν αὐτοῖς*). 6 *κείμεναι* (om. $\aleph^1$ a e). 7 *καὶ προσκαλεσάμενος* (*ὁ Ἰ.*) *τοὺς διακόνους* (e f^2 l). 8 *οἱ δὲ ἤνεγκαν* (om. X), vel (a) *οἱ δὲ ἤντλησαν καὶ ἤνεγκαν*, vel (e f^2 l) *καὶ ἐποίησαν καθὼς εἶπεν αὐτοῖς*. 9 (*οἱ ἠντληκότες τὸ ὕδωρ,*) *ὃ οἶνος ἐγένετο* (e), vel *ὅτι ἐξ ὕδατος οἶνος ἐγένετο* (l), vel (a b) *καὶ θεωροῦντες τὸ γενόμενον ἐθαύμαζον*. Primum igitur hoc dico, toto caelo haec additamenta distare ab eis quae in Actis D addit: quippe hebetissimus quisque haec ad Iohannem adscribere poterat, et insunt quae ab Iohannis usu discrepent: *ὑστερεῖν, συντελεῖσθαι*. Deinde si quis putet magnam licentiam scribarum sive interpretum occidentalium deprehendi, comparatis aliis locis videbit nihilo fere maiorem esse horum culpam quam orientalium: veluti c. 5, 9 *ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ* habent orientales, om. D e (cum Nonni paraphrasi), 10 *τῷ τεθεραπευμένῳ* om. e, *σάββατόν ἐστιν* om. Syr. Lew. (cum Nonno), 13 *ἰαθεὶς* vel *ἀσθενῶν* om. q. Est *θεραπεύειν* quoque ex eis verbis, quibus alias Iohannes non utitur. Itaque si omnino librarii accusandi, omnes accusandi sunt; si autem defendimus ab eo crimine orientales, omnes defendendi, eritque vel in eos culpa conicienda, qui ipsa prima apographa huius euangelii confecerunt, vel in horum apo-

1) Ipse moneo, hinc infirmari videri argumentum quo in Act. ed. minore p. XI sq. usus sum.
2) V. 4 exstat Nonni lectio alio nomine notabilis: *τί ἐμοὶ ἢ* (pro *καὶ*) *σοί, γύναι*, i. e. *quid id ad me sive ad te?* (Nonnus: *τί μοι, γύναι, ἠὲ σοὶ αὐτῇ;*).

graphorum lectores, qui margines interstitiaque versuum suis explicationibus ita oppleverint, ut librarii describentes in varios errores inducerentur. Certe tota res valde dissimilis est eius quam in Lucae euangelio videmus; videmus autem ibi a D sociisque in universum paucissima addi, plurima autem omitti, neque ea dumtaxat quae sine mora interpolatori tribuas, sed etiam alia. Ut enim pauca e multis afferam: quis potest spuria credere *ἰατροῖς προσαναλώσασα ὅλον τὸν βίον*, quae L. 8, 43 om. cum B D? Similia exstant apud Marcum, sed verbis praeter *ἰατροί* diversis omnibus, ut plane eadem ratio agnoscatur quae alias inter Lucam Marcumque intercedere solet. Vel quis pro spuriis eiciat 10, 41 sq. *μεριμνᾷς καὶ θορυβάζῃ περὶ πολλά, ἑνὸς δέ ἐστιν χρεία*, vel 12, 19 *κείμενα εἰς ἔτη πολλά· ἀναπαύου, πίε, φάγε*, vel omnia ea quae c. 19, 30 sqq. in D omittuntur?[1]) Iohanni nihil detraxeris, si removeris quae non sunt consensu testium tradita; Lucae autem eadem ratione dempseris, quae omissa multi minime aequo animo ferant. Itaque si in his formae duae diversae sunt agnoscendae, quidni etiam in levioribus plerisque? Tamen ne librarios plane extra culpam collocemus, indiculum (minime quidem integrum) do talium, quae apud Iohannem ab eis addita esse videri possint. *Ἀκούσαντες* vel sim. 4, 30 (Syr. Lew. *πᾶς ὁ ἀκ.*). 6, 60 (om. be Syr. Lew.). *τὴν ἀλήθειαν* 6, 45 (A). *ἀληθῶς* 6, 14 (om. D). *τῶν ἀνακειμένων* 13, 28 (om. e). *ἄνω* 11, 41 (om. 253 e). *καὶ ἀπῆλθεν* (post *καὶ ἦλθεν*) 4, 43 (om. ℵBCD al.), cf. L. 2, 51. *αὐτός ipse* 4, 2 (om. c al.). 7, 9 (om. e al.). *γυναικὸς* ad *Σαμαρίτιδος* 4, 9 (om. *γυν.* e). *εἰς Βηθανίαν* 11, 17 (add. ℵ^cb DX al.). *εἰς τὴν ἑορτὴν* (*ταύτην*) 7, 8. 10. *εἰς τὰ μέρη* 6, 1 (add. Dbe). *εἰς τὸν οὐρανόν* 11, 41 (add. KΠbcf). *εἰς ἕνα τόπον* 20, 7 (om. Syr. Lew.). *ἐκεῖ* 5, 5. 6, 3. 11, 31 (om. Syr. Lew.). 12, 2 (om. ae Nonn.). 26. *ἐκεῖνος* 18, 10. 20, 13 (om. e). *ἐν ἑαυτῷ* ad *γνούς* 6, 61 (om. Syr. Cur. Lew.). *ἐν τῇ ἑορτῇ* 7, 11 (om. Δ. 69 Nonnus). *ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ* 5, 9 (om. De Nonn.). *ἔξω* ad *ἐκβάλλειν* 6, 37.

---

1) Valde mirum est eadem fere apud Marcum omitti in latino k, qui reddit Mc. 11, 4—6 graeca haec: *καὶ ἀπῆλθον καὶ εἶπον καθὼς αὐτοῖς εἶπεν ὁ Ἰ.* (*καὶ ἀπελθόντες ἀπεκρίθησαν ὅτι ὁ κύριος αὐτοῦ χρείαν ἔχει* D ap. L.). V. infra p. LVII sq.

9, 35; ad ἐξελθεῖν 18, 29. 19, 4. 5; ad ἑστάναι 20, 11. ἐπ' αὐτῷ s. περὶ αὐτοῦ 12, 16 (om. be Sahid. Nonn.). ἑστηκότες 11, 56 (om. Syr. Sch. Lew.). εὐθέως, εὐθύς 5, 9. 11, 44. 13, 30 (om. e Syr. Lew.). ὁ ζῶν ad πατήρ D 5, 26, ex 6, 57; τοῦ ζῶντος ad θεοῦ 6, 69 (ex Mt. 16, 16). ἤδη 4, 36? 51. 5, 6. 11, 17. 19, 28. ἰδόντες 5, 10 (e Syr. Lew.). 20, 10 (Syr. Lew.), cf. supra ἀκούσαντες. καὶ εἶπεν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ 14, 1 (in principio lectionis). κύριε 13, 6 al. ἐμήνυσεν αὐτοῖς D 20, 18. μόνον ad οὐ 12, 9. ὅλη ad ἡ οἰκία 4, 53; ὅλος ad κόσμος 12, 19; δι' ὅλου 19, 23 (om. e). οὗτος ad ὁ κόσμος 12, 31. οὕτως 4, 6. 13, 25. 21, 22. πάλιν 4, 3. 11, 7. 8 (om. Nonn.). 38 al.; πάλιν δεύτερον 4, 53 (om. e); 21, 16 aut πάλιν aut δεύτ. omittitur. περὶ τούτου 6, 61 (om. e Syr. Lew.). πολύ ad πλῆθος 5, 3; πολύς ad γογγυσμός 7, 12. πρὸς ἑαυτούς 7, 35. προσελθόντες ad εἶπεν 7, 3 (add. Syr. Lew.), cf. supra προσκαλεσάμενος 2, 5. 7. τοῦ προφήτου ad Ἡσαΐου 12, 38. πρῶτος 20, 4 (om. e Syr. Lew.). σὺν αὐτῷ ad ἀνακειμένων 12, 2 (om. X a Nonn.). σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ 18, 1 (om. Nonn.).[1]) συνηγμένοι 20, 19. τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ 19, 38 (αὐτόν al., e τὸν Ἰησοῦν); cf. 20, 12 a. ἐστὶν ὁ τόπος ὅπου 4, 20 (om. Tertull.; ὁ τ. et. ℵ om.); cf. 5, 13. 10, 40. 19, 20 (ἦν ὁ τ. et ὅπου om. e). τότε 13, 27. Omisi vulgatissima illa, pronomina addita et coniunctiones et λέγων quaeque similia sunt. Itaque ne apud Lucam quidem talia vocabula, si quando in D sociisque addita sunt, pro parte formae R statim accipienda, neque ubi talia D ceterique omittunt, utique diversitas formarum agnoscenda est. Ponuntur in Iohanne etiam alia vocabula pro aliis apud testes alios, ἀγαπᾶν D pro φιλεῖν 5, 20, inversa ratione 11, 5; ἥλατο (D) — ἔβαλεν ἑαυτόν 21, 7. ἀναγγέλλειν — εἰπεῖν 5, 15 (cf. 4, 51). ἀναδεικνύναι (ℵ[1]) — ποιεῖν 6, 15 (etiam constructione mutata); ibd. ἀναχωρεῖν — φεύγειν (hoc ℵ[1] ital. etc.), ex quibus illud Matthaei magis est quam Iohannis, potuit autem reponi pro hoc ab eis, quibus φεύγειν a Iesu persona alienum

---

1) Om. id. ibd. αὐτὸς καὶ οἱ μαθ. αὐτοῦ, habet μετὰ τῶν μαθ. v. 2. — Haec duo exempla praepositionis σύν si removeris, nullum apud Ioh. relictum erit praeter unum c. 21, 3.

videretur (v. Tschd.). Paullo post (v. 17) pro *κατέλαβεν αὐτοὺς ἡ σκοτία* (ℵD) Iohanneo in plerisque est *καὶ σκοτία ἤδη ἐγεγόνει*, quod equidem ad eosdem illos vetustos interpolatores rettulerim quos supra significavi. *ἄρτι — νῦν* 13, 36 sq. *γέγονας — ἐλήλυθας* (*ἦλθες*) 6, 25, cf. 12, 28. 30. *γινώσκειν — ἀκούειν* 12, 9; *γιν. — εἰδέναι — ἰδεῖν* 6, 61; *γιν. — νοεῖν* 12, 16. *διατρίβειν — μένειν* 11, 54. *εἶναι — ἔχειν* (*ὧραί εἰσιν τῆς ἡμέρας — ὥρας ἔχει ἡ ἡμ.*) 11, 9. *ἔχειν — φορεῖν, φέρειν* 19, 5. 39. *ἐξελεύσονται — ἐκπορεύσονται* 5, 29. *ἐν ἑαυτοῖς — πρὸς ἀλλήλους* 4, 33, cf. 19, 24. *ἦλθεν — παρῆν* 13, 1. *ἡμέρα — ὥρα* 11, 53. *θεασάμενοι — ἑωρακότες* 11, 45. *ἐθεώρουν — ἑώρων* (falsum hoc) 6, 2. *κραυγάζειν — λέγειν* 19, (12.) 15. *πλησθῆναι — πληρωθῆναι* 12, 3. *πολλά — τοιαῦτα* 11, 47. *σιωπῇ* (D it. pler. Syr. Lew.) — *λάθρᾳ* 11, 28. *τι — οὐδέν* 5, 19. Non igitur est diversae formae indicium, quod ap. L. 1, 20 pro *πληρωθήσονται* in D est *πλησθήσονται*, vel v. 21 pro *προσδοκῶν* in eodem *προσδεχόμενος*. Constructio apud Iohannem variat in his: *ὡς ἦλθον ἠρώτων — ἦλθον ἐρωτῶντες* (hoc e) 4, 40. *καταβῇ καὶ — καταβάς* 4, 47, cf. 6, 11. 7, 4. 11, 17. 12, 3. 36. 18, 4. 19, 1. *ἤθελον .. καὶ — ὡς ἤθελον* (Syr. Lew., e) 6, 21; cf. 11, 41. *εἰδὼς — ὡς ἔγνω — ἔγνω .. καὶ* 6, 61. *ὅτι οὔπω — οὔπω γὰρ* 7, 30. *ἵνα* et *τοῦ* c. inf. 11, 11. *ἄγουσιν* (*ἦν δὲ πρωΐ*) — *ὅτε ἦν πρωΐ, ἄγουσιν* 18, 28 (hoc Syr. Lew.). Vides autem haec neque multa esse neque gravia neque cum eis comparanda, quae eiusdem generis apud Lucam et in euangelio et in Actis reperiuntur, propter diversas horum librorum formas scilicet.

§ 17. Sum equidem iu Iohanne, qui nostrae provinciae non est, satis diu immoratus; transeamus igitur ad Marcum, cuius condicionem diversam reperimus, sed peiorem, non meliorem. Simile videatur eorum quae in Iohanne invenimus, quod Mc. 5, 33 *δι' ὃ πεποιήκει λάθρᾳ* add. D a f[2] i, contra b e q ibd. etiam *εἰδυῖα ὃ γέγονεν αὐτῇ* omittunt; neutra enim ad sententiam necessaria sunt, ut possis utraque pro interpolatis habere. Sed cavendum est, ne falsa specie similitudinis decipiaris. C. 15, 15 *βουλόμενος ποιῆσαι τὸ ἱκανὸν τῷ ὄχλῳ* (post *ὁ δὲ Πιλᾶτος*) om. D f[2] k, et movet suspicionem *βουλόμενος*, quod unicum

est eius verbi apud Marcum exemplum. At apud Lucam, in Actis maxime, et hoc frequens est et *τὸ ἱκανὸν λαβεῖν* exstat (A. 17, 9), singulari *τὸ ἱκανὸν ποιεῖν* (*satisfacere* — *satis accipere*) proxime cognatum. Atque hoc idem etiam aliis locis dubiis (qui frequentiores sunt circa extremum librum) observatur, esse alteri duarum lectionum colorem quendam Lucanum, Actorum vel magis quam euangelii admonentem. Eiciunt eiusdem c. v. 28: *καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα· Καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη*, auctoribus omittendi ℵABD al.; est autem ea locutio non modo Iohannis, sed etiam Actorum propria (1, 16 *ἔδει πληρωθῆναι τὴν γραφὴν κτἑ.*), ipseque Iesaiae versus a Luca affertur (22, 37). Ibd. v. 19 *καὶ τιθέντες τὰ γόνατα* (Act. 7, 60. 9, 40 al., L. 22, 41) *προσεκύνουν αὐτῷ* om. D 71*. 253 k; parum apto loco id membrum apud ceteros infertur, iusto autem apud Matth. (27, 29) *γονυπετήσαντες*. V. 24 *τίς τί ἄρῃ* om. D al., cf. *τίς τί* L. 19, 15.[1]) Neque est tamen D alienus magis quam ceteri ab hoc vitio quod videtur (quod *τὸ λουκανίζειν* dixeris); nam c. 14, 4 pro *ἦσαν δέ τινες ἀγανακτοῦντες πρὸς ἑαυτούς*, quae sunt ex more Marci dicta, Daf²i habent *οἱ δὲ μαθηταὶ αὐτοῦ διεπονοῦντο* (*διαπ.* Act. 4, 2. 16, 18, neque usquam praeterea); item 14, 25 pro *οὐκέτι* (om. ℵC al.) *μὴ πίω* Daf *οὐ μὴ προσθῶ πιεῖν*, ut est idem fere hebraismus (*προσέθετο*) L. 20, 11 sq. A. 12, 3. Vel diverso modo utraque pars codicum *λουκανίζει*: c. 16, 1 ℵB al. *καὶ διαγενομένου τοῦ σαββάτου* (A. 25, 13. 27, 9, neque usquam praeterea) *Μαρία ἡ Μαγδ. καὶ Μαρία ἡ Ἰακώβου καὶ Σαλώμη*, sed Dnq nihil nisi *καὶ πορευθεῖσαι*[2])

---

1) C. 4, 19 *καὶ αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι* om. D al.: non est *ἐπιθυμία* neque *ἐπιθυμεῖν* ap. Mc., sed ap. L., neque *περί τι* hoc sensu apud illum, sed cf. A. 19, 25 α *τοὺς περὶ τὰ τοιαῦτα ἐργάτας*, neque *λοιπός*, sed cf. A. 17, 9 al. — 3, 21 *οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ λοιποὶ* D it. (vid. potius ad 22 pertinere), cf. L. 22, 8 (Mci.). 24, 9. A. 2, 37 α. 17, 9; sed et. 23 *οἱ ἀπὸ Ἱερ. καταβάντες* (*καταβεβηκότες* 700) Lucanum, A. 25, 7. 23 β. — 14, 58 pro *ἡμεῖς ἠκούσαμεν αὐτοῦ λέγοντος* (cf. A. 6, 11. 14 in re simili) ℵ *ὅτι εἶπεν* (Mt. *οὗτος ἔφη*, sed Df²h simil. ut Mc.). Lucanum etiam *τοὺς πεποιθότας ἐπὶ χρήμασιν* 10, 24 ACD al., 23 s¹ (cf. supra p. XV sq., 1), v. L. 18, 9. Denique cf. lectionem k supra p. LV, 1 appositam.

2) k *καὶ διαγεν. τοῦ σ. πορευθεῖσαι.* Haec *διαγεν. τοῦ σαββ.* aptiorem fortasse locum habebunt in v. 2.

(saepe Lucas ut 15, 15, sed nusquam Marcus). 16, 4 *ἦν γὰρ μέγας σφόδρα* (L. 18, 23 *ἦν γὰρ πλούσιος σφόδρα*) multo aptius in D al., quibuscum consentit Eusebius, versui 3 addita sunt. Videntur igitur aliena a Marco, aliena etiam *καὶ πορευθεῖσαι*, aliena *διαγενομένου τοῦ σαββάτου*; verum autem Marcum quid scripsisse dicamus? Quasi vero constet, verum Marcum omnino graece scripsisse; videor enim mihi supra satis idoneis argumentis probasse, Lucam quidem ad suum euangelium graeco hoc Marco non usum esse. Aramaice autem Marcum scripsisse neque supra affirmavi neque nunc affirmo; verum si quis hoc colligat ex omnibus, verum Marcum fuisse aramaice scriptum, graece interpretatos esse eum librum et alios et fortasse ipsum Lucam, minime obloquor. Est etiam ubi ternae interpretationes compareant: 11, 13 ℵABC al. *ἦλθεν εἰ ἄρα τι εὑρήσει ἐν αὐτῇ*, Db al. *ἦλθεν ἰδεῖν ἐάν τί ἐστιν ἐν α.*, 700. afq Orig. *ἦλθεν ὡς εὑρήσων τι ἐν αὐτῇ*. Harum enim trium lectionum nulla ex Matthaei loco (*ἦλθεν ἐπ' αὐτήν* 21, 19) explicatur, habet autem prima speciem Lucanam (*εἰ ἄρα* A. 7, 1 *β*. 8, 22. 17, 27), secunda consuetam Marci (cf. 5, 14), tertia vel ultra Lucanam elegantiam est.[1]) Hoc igitur est quod ait Papias (sed de Matthaei euangelio, non de Marci): *ἡρμήνευσεν δ' αὐτὰ ὡς ἦν δυνατὸς ἕκαστος*. Idem autem codex 700 etiam 1, 18 pro vulgari *τὰ δίκτυα* praebet poeticum *τὰ λίνα*.[2]) Atque cum ipsa verba interdum tantopere discrepent, non mirum est etiam constructiones varie tradi, rudiores ab aliis, ab aliis elegantiores. Sic c. 6, 7 sq. sec. De al.: *καὶ προσκαλεσάμενος* (pro *-εῖται*) *τοὺς δώδεκα ἀπέστειλεν* (pro *καὶ ἤρξατο ἀποστέλλειν*) *αὐτοὺς ἀνὰ δύο* (D pro *δύο δύο*, om. e), *δοὺς* (pro *καὶ ἐδίδου*) *αὐτοῖς ἐξουσίαν τῶν πνευμάτων τῶν ἀκαθάρτων*, *παραγγείλας* (e pro *καὶ παρήγγειλεν*) *αὐτοῖς μηδὲν αἴρειν* (e pro *ἵνα μηδὲν αἴρωσιν*) *εἰς τὴν ὁδόν*. Quae cum ita sint, non videtur ope talis libri ad Lucae lectiones rectius aestimandas multum profici posse. Neque enim, ut huius, ita Marci duae formae exstant, sed exstitisse

---

1) De *ὡς* cum part. fut. coniuncto v. Grammatik d. neutest. Griechisch 247 (Hebr. 13, 17; L. 9, 52 sec. bql, *quasi paraturi*).
2) V. de eo libro sane insigni infr. p. LXIX sq.

videntur vel duae vel plures; nunc autem una quaedam fere integra servata est, ceterarum nihil nisi fragmenta, ex collatis aliis exemplaribus antiquissimis temporibus adscripta. Accedit autem sicut apud Lucam nota illa labes ex euangeliorum contaminatione orta, quam tollere solent editores ubi codices quos optimos putant contra testentur, sed ubi hi ipsi ea labe infecti sint fere non attingunt. Veluti c. 4, 41 mihi dubium non est quin vera servaverint be: *ecce quo modo* (ἴδε πῶς, cf. 2, 24. 13, 1. 15, 4), adulterata sint apud ceteros: τίς ἄρα οὗτός ἐστιν, ὅτι καὶ, = L. 8, 25; neque enim est τί(ς) ἄρα praeterea apud Marcum, neque εἰ ἄρα praeter 11, 13 ℵAB etc., quo de loco supra egimus.

§ 18. Matthaeum ultimo loco examinamus. Cuius etsi Papias notas habuisse videtur complures formas distinctas, nobis certe una sola tradita est[1]), atque in universum satis sincere tradita. Contuli ipse fragmenta latina antiquissima Bobbiensia, quae k littera notantur, secundum editionem Wordsworthii sociorumque: e quibus fragmentis cum una pars ad Marcum pertineat, altera ad Matthaeum, et si nostrum ordinem secutus a Matthaeo ad Marcum veneris, miraberis in hoc lectionis maximam cum vulgari discrepantiam, et si secundum codicis ordinem a Marco ad Matthaeum processeris, in Matthaeo summam cum eadem congruentiam miraberis. Qua ex congruentia id certo colligitur, non fuisse librarios ipsos mutandi studiosos, neque orientales neque occidentales; sua enim indole perinde in Matthaeo atque in ceteris uterentur; sed si in his in varias partes saepe discesserunt, scilicet quod sequerentur habebant. Neque tamen id dico, nusquam esse apud Matthaeum interpolatum; ipsius enim ope k quaedam interpolationes detegi videntur. Non dixit Iesus eisdem verbis quibus Iohannes Baptista: μετανοεῖτε· ἤγγικεν γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν (4, 17; cf.

---

1) Valde pauca sunt ap. Mt., quae eorum quae ex Mc. attuli similia videri possint. C. 12, 16 pro ἐπετίμησεν (quo verbo alias Mt. utitur) in D min. 1 atque ap. Eusebium (Demonstr. 452) est ἐπέπληξεν, quod praeterea non exstat nisi ap. Paul. I. Tim. 5, 1.

3, 2), sed legendum est cum k Syro Lew. Eusebio ὅτι ἤγγικεν ἡ κτἑ., sine μετανοεῖτε. C. 8, 5 μετὰ ταῦτα δὲ προσῆλθεν κτἑ. k Syr. Lew.; vulgaris lectio εἰσελθόντος (-τι) δὲ αὐτοῦ (αὐτῷ vel τῷ Ἰ.) εἰς Καφαρναούμ ex Luca (7, 1) interpolata esse videtur, vereorque ne eidem interpolationi debeatur ἑκατοντάρχης pro χιλίαρχος, quod solus Syrus praebet (it. vv. 8. 13). Genuinum puto etiam ἄλλη παραβολή pro ἄλλην παραβολὴν ἐλάλησεν αὐτοῖς 13, 33: om. ἐλάλ. α. D 76. k Syr. Cur. Lew., sed D 76 ἄλλην παραβολήν praebent. Dubites de verbis οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν ἕως οὗ 1, 25, quae om. non modo Syr. Lew., sed etiam k (etsi tacet de eo Tischendorfius). Denique (ut praetermittam alia) non adducar ut credam Matthaeum quem dicimus scripsisse 13, 14 καὶ ἀναπληροῦται αὐτοῖς ἡ προφητεία Ἠσαΐου ἡ λέγουσα, duobus vocabulis usum quae ab omnibus euangeliis aliena sunt (ἀναπληροῦν et προφητεία), sed Iesaiae locum a quodam homine ex LXX adscriptum puto, Matthaeo autem nihil ex his (vv. 14. 15) relinquendum. Magna enim est apud testes varietas: Eusebius v. 14 τότε ἐπληρώθη habet, ex persona scriptoris scilicet, D autem καὶ τότε πληρωθήσεται, ut appareat variis modis homines Iesaiae locum Matthaeo aptare studuisse. Sed satis superque de his; ad Lucam redeamus.

§ 19. Alius testis formae Romanae aetate Marcioni suppar Iustinus est; verum de eo plura dicere vix opus. Neque enim e Luca quicquam nominatim affert, sed omnia ex commentariis quos vocat apostolorum, et Matthaeum cum Luca ita miscet, ut quid apud hunc, quid apud illum legerit subinde parum certum sit. Apparere tamen clarissime Lucae formam Romanam et mihi monstravit et aliis monstrabit is quem saepius commemoravi E. Lippelt, atque Romae Iustinus libros eos qui manent composuit.

De Irenaeo, Cypriano, Augustino in praefatione Actorum dicendum fuit, sed in hac non est cur iterum dicam. Sincera quidem atque integra forma Romana nemo ex his usus esse videtur, quando fortasse ne Marcion quidem; pericopa quae est de adultera a Cypriano nusquam commemoratur. Codices autem Cypriani in allatis locis Lucanis ita varie inter se discedunt, ut appareat a

librariis secundum sua exemplaria eos locos correctos esse. In universum nos quoque in italae codicibus talem Lucam legimus, qualem legerunt illi legitque Ambrosius, cuius exstant commentarii in Lucam conscripti.

E. Graecis patribus, excepto Irenaeo eiusque discipulo Hippolyto[1]), ad formam Romanam recuperandam non videmur quicquam lucrari posse. Est tamen quaerendum maxime de Aegyptiis, Clemente Alexandrino atque Origene; cum enim in Aegypto libri fuerint Actorum formam β habentes, maneatque nunc quoque euangelii codex ℵ ad mixtum quoddam genus pertinens, minime mirum sit si patribus quoque illis eiusdem similes libri fuerint. Atque in eis, quae Clemens ex Luca affert, conspicitur tam creber et insignis cum D ceterisque consensus, ut ita de illius libro statuendum videatur; nam quominus eum librum sinceram R formam praebuisse putemus, aliis locis impedimur. Illius generis sunt hi loci (de quibus videnda adnotatio critica): 3, 13. 6, 29. 46. 7, 25. 9, 27. 62. 10, 27. 12, 9. 11. 27. 30. 32. 14, 8. 10. 17, 6. 20, 34. 24, 43; ex hoc gravissimi sunt 10, 41 sq. et 12, 19, in R valde contracti, sed a Clemente secundum ampliorem formam A allati. Memorabile autem, quod in Actis idem Clemens ab α non discrepare solet. Ad Origenem quod attinet, nihil insignius loco 22, 27, cuius amplior forma quae est in D illius testimonio ex parte confirmatur, neque desunt alia similis congruentiae vestigia, etsi pro numero locorum allatorum minime multa (velut 4, 20. 7, 39. 24, 31). His duobus accedit tertius Methodius, episcopus Olympi Lyciae, Origenis sectae adversarius, cuius superest graece praeter minora quaedam opusculum inscriptum Convivium decem virginum[2]), ita ad Platonis Convivium imitando expressum, ut saepe instar codicis Platonici habeatur. In quo scripto si plura Lucae

1) De eo vid. ad 13, 15 sq. 18, 3 sqq. 27. 21, 9. 18. 20. 24, 39; apparere vid forma mixta. De Act. v. p. 48 Lag. (5, 29; est forma A). Prodiit nuperime novae Hippolyti editionis pars prima, curis vv. doctorum Bonwetsch et Achelis.

2) Edidit A. Jahn Halis 1865 (S. Methodii opera quae exstant).

allata essent, fructum haberet eum quoque non exiguum; nunc hi tantum ibi sunt loci Lucani: 12, 35—38. 49. 15, 4—6. (23). 21, 34. Primum eorum, quoniam insunt ei magnae difficultates etiam propter reliquorum testium discrepantias, integrum appono ut apud Methodium legendus est; nempe nunc male truncatus reperitur (et reperiebatur iam Photii temporibus, qui haec excerpsit)[1]), at probat ipsius scriptoris testimonium disertissimum, eum olim et legisse et scripsisse ea quae de *ἑσπερινῇ φυλακῇ* D aliique testes occidentales habent. *Οἱ λύχνοι ὑμῶν μὴ σβεννύσθωσαν, καὶ αἱ ὀσφύες ὑμῶν μὴ λυέσθωσαν. διὰ τοῦτο καὶ ὑμεῖς ὅμοιοι γίνεσθε ἀνθρώποις προσδεχομένοις τὸν κύριον αὐτῶν, πότε ἀναλύσῃ ἐκ τῶν γάμων, ἵνα ἐλθόντι καὶ κρούσαντι αὐτῷ εὐθέως ἀνοίξωσιν. μακάριοί ἐστε, <ἐὰν ἐλθὼν ὁ κύριος εὕρῃ* (D) *γρηγοροῦντας· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι περιζώσεται καὶ ἀνακλινεῖ ὑμᾶς καὶ παρελθὼν διακονήσει· καὶ ἐὰν ἔλθῃ τῇ ἑσπερινῇ φυλακῇ καὶ εὕρῃ οὕτως, μακάριοί ἐστε>, ὅτι ἀνακλινεῖ ὑμᾶς καὶ παρελθὼν διακονήσει* (om. *αὐτοῖς*), *κἂν* (om. *ἐν*) *τῇ δευτέρᾳ καὶ τῇ τρίτῃ φυλακῇ, μακάριοί ἐστε.* In quibus prima satis licenter a scriptore reficta videntur, cum nemo praeterea testis accedat; item id Methodio deberi, quod per totum locum secunda persona est pro tertia. His igitur et omnibus levioribus missis ad ultimam sententiam attendamus, cuius prior pars, ab *καὶ ἐὰν ἔλθῃ* usque ad *διακονήσει*, in *α* omnino non exstat; at post *τρίτῃ φυλακῇ*, ut integra esset sententia, *ἔλθῃ καὶ εὕρῃ οὕτως* ibi addita sunt. Quod ni esset, facile putares casu excidisse illa propter similem in *διακονήσει* exitum, neque formas duas agnoscendas esse, sed lectiones, alteram mancam, alteram integram. Sunt autem in ipsa pleniore forma, ut dixi, testium discrepantiae. Primum in min. 1. 118. 209, vulgatae mm, Syro Curetoniano — Lewisianus enim omnino cum *α* facit — per contaminationem membrum paenultimum (*κἂν ἐν τῇ δευτ.* —) in *α* formam dilatatum est. Tum b italae in *διακονήσει αὐτοῖς* desinit, reliqua (*κἂν ἐν κτἑ.*) non addens; scilicet expulsa est ea pars alterius sive com-

1) Phot. Bibl. cod. 237 p. 309 a 22.

munis formae propter inductam alteram. Similiter in D e omissa sunt *μακ. εἰσιν ὅτι . . διακον. αὐτοῖς*, verum post *εὕρῃ οὕτως* additum vel *ποιοῦντας* cum Cyrillo et versione sahidica (e), vel *ποιήσει* ex interpolatione (D; item e, in quo desunt *μακ. εἰσιν*). Integrae autem neque male auctae formae praeter Methodium, qui nunc mutilatus est, hi testes supersunt: italae f²ilr (om. r *καὶ εὕρῃ οὕτως*, habet in membro paenult. *ἔλθῃ* et *ᾗ τῇ τρ. φ.*), Irenaei interpretatio latina. — Etiam de altero loco, qui est c. 15, 4 sqq., pauca addere non inutile est. Is apud Methodium sic legitur: *τίς ἐστιν ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος, ὃς ἔχει ἑκατὸν πρόβατα* — sunt haec ad locum Mt. 12, 11 reficta —, *κἂν ἀπολέσῃ* (*καὶ ἀπώλεσεν* Phot.) *ἓν ἐξ αὐτῶν, οὐκ ἀφίησιν τὰ ἐνενήκοντα ἐννέα ἐπὶ τοῖς ὄρεσιν, καὶ πορευθεὶς ἐπὶ τὸ ἀπολωλὸς ζητεῖ αὐτό, ἕως εὕρῃ;* (5) *καὶ εὑρὼν ἐπιτίθησιν ἐπὶ τοὺς ὤμους αὐτοῦ,* (6) *καὶ ἐλθὼν εἰς οἶκον συγκαλεῖται τοὺς φίλους καὶ τοὺς γείτονας λέγων· Συγχάρητέ μοι, ὅτι εὑρέθη τὸ πρόβατόν μου τὸ ἀπολωλός.* Docent haec cum aliis, quanta exstiterit apud Lucam multis locis lectionis varietas. Potest ad R formam referri, quod v. 5 omittitur *χαίρων* et a Methodio et in italae bf²il; sed refelli vix poterit si quis dicat id e Matthaei c. 18, 13 (*χαίρει*) male interpolatum esse. *Εὑρέθη* pro *εὗρον* (v. 6) hunc unum graecum testem habet, latinos bcef²ilq; sit id Romanae. In v. autem 4 partim propter Matthaei locum qui habet eandem sententiam (18, 12 *ἀφεὶς τὰ ἐν. ἐνν. ἐπὶ τὰ ὄρη πορευθεὶς ζητεῖ τὸ πλανώμενον*), partim aliis de causis multum turbarum exstitit. Et *ἀφίησι* quidem ex Matthaeo pro *καταλείπει* cum Methodio etiam D habet (*ἀφήσει* ut vid. bcf² et vulgatae mt); indidem *ἐπὶ τοῖς ὄρεσιν* pro *ἐν τῇ ἐρήμῳ* Meth. solus; pro proximis autem (*πορεύεται ἐπὶ τὸ ἀπολωλός*) hae sunt variae lectiones: D (Syr. Cur. Lew.) *ἀπελθὼν τὸ ἀπολωλὸς ζητεῖ*, similis illius quae est Methodii, ae *πορεύεται ἐπὶ τὸ ἀπ. ζητῶν*, f *πορ. ζητεῖν τὸ πλανώμενον*, bc al. *πορεύεται ἐπὶ τὸ πλ.* (et supra bef al. *πλανηθῇ ἓν*). Cum sequatur *ἕως εὕρῃ*, videtur *ζητεῖν* quoque apud Lucam ab initio non defuisse, sed omittere potuit scriptor in *α*; in *β* utrum *πορευθεὶς* (*ἀπελθὼν*) *ζητεῖ* scripserit an *πορεύεται ζητῶν*, nullo modo discerni potest. — Ex reliquis scriptis

Methodii id maxime discere videmur, in Actis non minus quam Clementem forma α illum usum esse.[1])

Difficilius iudicatur de Basilio, qui fuit episcopus Seleuciae Isauriae saec. quinti parte priore; affert is complura Lucana in orationibus quae exstant, sed ut assolet in hoc scriptionum genere licenter neque accurate, ut etsi appareat interdum — minime enim semper, neque unquam in Actis — quaedam cum D ceterisque R testibus similitudo, non tamen multum ex illo lucrari possimus.[2]) Vix maioris usus est Macarius Aegyptius, saeculi quarti scriptor.[3]) Ne Severianus quidem, qui fuit Gabalorum Syriae episcopus tempore Chrysostomi, quicquam magnopere nos iuvare posset, nisi esset in sermonibus eius (qui inter Chrysostomi circumferuntur) unus locus quo comparatio exordiorum instituitur, quibus usi sunt euangelistae.[4]) Res haec est. Si duplex fuit et Actorum quasi editio et euangelii Lucani, altera Theophilo inscripta, altera Romanis destinata, cur Theophili nomen in hac quoque legitur?[5]) Et ex Actis quidem id nullo negotio removetur, neque ita facile ex euangelio. Severianus autem (cuius est plerumque in afferendis locis eadem licentia quam in Basilio notavi) hanc dat Lucani exordii formam: *ἐπειδήπερ .. πραγμάτων, ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι τοῖς πᾶσιν ἀπ' ἀρχῆς γράψαι*[6]), *καθὼς παρέδ. ἡμῖν .. λόγου*. Non videtur auctor fide dignissimus; non facile perspicitur quidnam huic Syro cum forma Romana rei esse possit[7]); sed tamen hunc quidem totum locum de

1) V. Method. ed. Bonwetsch (Meth. von Olympus, 1891) p. 295 sq. (ex interpret. slavonica).

2) V. ad 7, 21. 8, 27. 32. 11, 7. 18, 10 sqq. 19, 42. 23, 42 (Migne Patrol. Gr. tom. 85; de Act. v. p. 255 sqq.).

3) V. 11, 8. 12, 49. 16, 10. 18, 7 sq. (Galland. vol. 7).

4) Chrysostom. opp. vol. 12, 567 (or. de sigillis).

5) Cf. v. Dobschütz in censura ed. Actorum minoris (supra p. XXXI).

6) *Παρακολουθηκότι* traditur, cum v. l. *παρακολουθῆσαι*, quae si vera est, sequitur ut delendum sit *γράψαι*.

7) Affert Severianus in sermonibus qui sunt de creatione mundi (Chr. VI, 518) L. 11, 36, quem v. om. D, it. (p. 594). L. 11, 27, non omissis verbis *ἐκ τοῦ ὄχλου*. V. tamen et. ad 24, 18 sqq. 30 sq., qui vv. in or. quae est de sigillis afferuntur.

quo agimus fortasse aliunde descripserit, estque ipsa quam exhibet forma neque Luca indigna et Romanae valde conveniens. Primum quod est brevior quam altera; deinde quod sublatum est membrum ultimum: ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν; eam enim ἀσφάλειαν Romani iam per Paulum acceperant accipiebantque. Verum nolo quicquam affirmare, neque necessarium fuit ut in exemplaribus librorum πρὸς Θεόφιλον inscriptorum eis quae Romanis auctor impertivit, Theophili nomen deleretur, etsi certe deleri potuit.

At Eusebius Caesariensis valde mirum sit si unquam pro β testetur, neque puto id ullo loco probari. Manent ex illius opere quod Θεοφάνεια inscribebatur excerpta quaedam ab Angelo Maio edita: in quibus locus 19, 43 sic affertur (isque bis) ut est apud Syros Cur. et Lewis., nempe ut pro καὶ παρεμβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι καὶ περικυκλώσουσίν σε posita sint καὶ περικυκλ. σε οἱ ἐ. σου, quae videtur forma R. Sed primum Eusebius bis in aliis scriptis eundem locum secundum formam A attulit; deinde in ipsa Theophania cum de suo addat τὴν ὑπὸ Ῥωμαίων πολιορκίαν αὐτοὺς καταλαβοῦσαν προσημάνας καὶ ὑπογράψας τὸν τρόπον τοῦ κατ' αὐτῶν γενησομένου πολέμου, nonne ad χάρακα κτἑ. respicere videtur? Nam his deletis quid relinquitur nisi vulgaria et communia? Itaque ab excerptore vel librario aliquo haec forma loco Lucano est inducta. Aliis autem locis et Eusebius et D pro vera lectione contra falsam testantur, ut in ipso prooemio (1, 2) apud utrumque est καθά pro καθώς, 3, 1 ἐπιτροπεύοντος pro ἡγεμονεύοντος, 4, 17 ὁ προφήτης Ἠσαΐας pro explicatione βιβλίον τοῦ προφήτου Ἠσαΐου.[1]) Quare missis patribus ad codices denique reliquosque testes formae R veniamus.

1) Similiter iudicandum est de aliorum euangeliorum locis, quibus D ital. cum Eusebio congruunt, vel veras eas lectiones esse vel certe antiquas. Cf. Mt. 4, 17 (supra p. LX). 12, 16 (ἐπέπληξεν D 1. Euseb., supra p. LX, 1; sed in reliquis D Euseb. non consentiunt; v. 17 solus Euseb. praemittit καὶ ταῦτα πάντα γέγονεν; idem solus om. Ἠσαΐου). 13, 11 τῶν οὐρανῶν om. k al. it. Syr. Lew. Eusebius. 14—17 (cf. supra p. LXI). Mc. 15, 29. 31. 33. 35.

§ 20. Codices graeci. D Cantabrigiensis, praecipuus inter omnes testes, quod ad Lucam attinet integer est servatus.

ℵ. Non contemnendam opem praebet ad restaurandam formam R codex Sinaiticus ℵ. Dudum vidimus in Actis, etiam Aegyptum eam quondam invasisse, modo invenimus Alexandrinos eius testes Clementem et Origenem; quid igitur mirum, si ne codices quidem ex illa terra oriundi aut cum ea aliquo modo (velut per Origenem) conexi ab R plane alieni sunt? Verum Sinaitici quidem eae lectiones a correctore quodam saeculi fere septimi, qui Pamphili Eusebiique codicibus Caesariensibus usus esse videtur, pleraeque mutatae sunt[1]); is corrector notari solet littera ^{c} (^{ca}).

At B Vaticanus, gemellus alioquin Sinaitici, nonnisi rarissime cum D ceterisque insigniter congruit. C. 8, 43 in plerisque est *ἥτις ἰατροῖς προσαναλώσασα ὅλον τὸν βίον οὐκ ἴσχυσεν ἀπ' οὐδενὸς θεραπευθῆναι*, sed in BD versioneque sahidica *ἣν οὐδὲ εἷς ἴσχυεν θεραπεῦσαι*, mediis omissis, quae omittit etiam Syrus Lew. Habet eadem Marcus (5, 26), sed verbis aliis; itaque quin Lucas pleniora illa scripserit dubium non est, neque vero quin brevior forma ad R sit referenda. Minus facile de loco qui est ibd. v. 45 diiudicatur: *εἶπεν ὁ Πέτρος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ* ℵACD al., it. sed *μετ' αὐτοῦ* EG al.; om. *καὶ οἱ μ. α.* B*Π* 42. 63. 70. 220. 253. 300. 482. 700[1]. Sahid. Syri Cur. Lewis. Hieros. Apud Marcum est (5, 31) de eadem re *ἔλεγον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ*, apud Lucam autem alibi de alia (9, 32) *ὁ Πέτρος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ*; hinc interpolatum esse potest. Tertio loco, qui est 17, 24, *ἐν τῇ ἡμέρᾳ αὐτοῦ* om. BD 220 a b e i Syr. Lewis.; variant etiam alii, sed ita ut locus Matth. 24, 27 in causa esse videatur. Potest autem e proximis interpolatum esse.

Tum X Monacensis, codex saec. IX. vel X., paene sicut ℵ[1] mixti generis testis dici potest. Sic c. 5, 17 om. cum D *καὶ δύναμις κυρίου ἦν*, 26 om. cum DMS 13. 69. 124,

---

1) Probatur id subscriptione ea ipsa manu ad libros Esther et Esrae apposita, testante collatum esse codicem cum exemplari Pamphili manu correcto. V. W. Bousset in Harnack, Texte u. Untersuch. XI, 4 (1894) p. 45.

ital. e al. *καὶ ἔκστασις ἔλαβεν ἅπαντας καὶ ἐδόξαζον τὸν θεόν*; 9, 15 om. cum D *καὶ κατέκλιναν ἅπαντας*; 2, 42 add. *τῶν ἀζύμων* cum Dace. Dolendum autem est, de originibus huius libri non magis nos quam de ceterorum plerorumque veterum edoctos esse, id quod ad ipsos quoque ℵ et B pertinet. Britanni enim editores Westcottus Hortiusque eos Romae, non Alexandriae scriptos esse coniecerunt, etsi non denegantes Alexandrinam Sinaitici originem; at alii maiore cum probabilitate Caesareae eorum originem assignant. De Monacensi autem id tantum dici potest, esse eum sicut Parisinos CL quocumque modo cum Alexandrino testium genere coniunctum.

§ 21. Codices minusculis litteris scripti. Eorum cum sit in euangeliis ingens plane numerus, multum abest ut omnes ea qua par est cura collati sint: etsi recentium horum librorum pauci admodum verum fructum reddunt, neque refert ut foeda menda per imperitiam librariorum admissa in lucem omnino proferantur. Sed fidele nimirum apographon recens idem fere valet atque archetypum quamvis antiquum, et in amissi huius locum plane succedit. Et sunt inter hos recentes quidam plane eximii pretii, aliique fortasse non minoris posthac protrahentur. Primum igitur videndum de codd. 1. 118. 209, quos inter R formae testes iam commemoravimus, cum egimus de loco 12, 38 (v. p. LXIII). Eidem paullo post omittunt totum v. 40: *καὶ ὑμεῖς γίνεσθε ἕτοιμοι, ὅτι ᾗ ὥρᾳ οὐ δοκεῖτε ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται*. Est autem is universus locus et sententiis et verbis plerisque congruens cum Matthaei c. 24, 42 sqq., et haec quae adscripsi eisdem verbis exstant apud illum v. 44, nisi quod ibi *διὰ τοῦτο* praemittitur; nihil enim moror, quod in Matthaei quibusdam *ὥρᾳ* post *δοκεῖτε* exstat. Ergo videri possunt haec ex Matthaeo in Lucam per interpolationem consuetam venisse. Habet autem Lucas versu proximo haec inserta, quibus alter caret: *εἶπεν δὲ ὁ Πέτρος· κύριε, πρὸς ἡμᾶς τὴν παραβολὴν ταύτην λέγεις, ἢ καὶ πρὸς πάντας* (*ἢ . . πάντας* om. D); *Παραβολή* dicitur ea quae est v. 39 de patrefamilias et de fure, quam si continuo excipit interrogatio Petri, rectissime omnia se habent; miratur enim Petrus cum patrefamilias neque cum servis se condiscipulosque com-

parari videri. Et rursus recte atque perspicue Dominus v. 42: τίς ἄρα ἐστὶν ὁ πιστὸς οἰκονόμος κτἑ.; fit enim vilicus Petrus, quasi per correctionem. Nihil autem nos movebit, quod Marcion interpolationem agnoscit; dudum enim vidimus tales vel Marcione antiquiores esse.[1]) Itaque hos codices, quibus saepe accedit 131, et in pretio habebimus et affinitatem cum D ceterisque R testibus agnoscemus.

Neque minus Ferrariani codices, qui sunt 13. 69. 124. 346. 543. 713. 788. 826, cum honore locum inter Cantabrigiensis affines habent. Horum quattuor primos composuit et examinavit W. H. Ferrar Dublinensis, unde nomen traxerunt, ceteri postea eiusdem stirpis esse cogniti sunt.[2]) Originem habent e Calabria vel Sicilia; ibidem archetypum eorum exstitisse putandum est, a quo variis gradibus distant. Habent autem unam rem maxime insignem, quod pericopa illa de adultera ex Iohanne exempta, Lucae inserta est. Alia pauca commemoro, quae eorum utilitatem illustrent: c. 13, 15 cod. 69 (et 435) om. ἀπὸ τῆς φάτνης cum Irenaeo Ambrosioque; 18, 7 verba καὶ μακροθυμῶν (-εῖ ℵABDL al.) ἐπ' αὐτοῖς in 13. 69 suo loco mota in v. 8 (ναὶ λέγω, μακροθυμῶν ἐπ' α. ποιήσει —) translata reperiuntur. Quo quidem loco hi codices, sicut superiore, non tam praebent verum quam indicant: haec enim καὶ μακρ. ἐπ' α. et ab Irenaeo et a Macario Aegyptio prorsus praetermittuntur neque videntur formae R fuisse.) Sunt autem ceteroquin parabolae quae antecedit aptissima, dummodo reponas et μακροθυμῶν et antea ex D βοώντων αὐτῶν, ut sint duo participia, alterum absolutum, alterum coniunctum, per καὶ copulata.

Singulari et in Luca et in Marco fide est codex 700, Londinii nunc exstans, patriae ignotae, quem contulerunt Scrivener et W. H. Simcox et plenissime H. C. Hoskier.[3])

---

1) Non audeo in R delere ἢ καὶ πρὸς πάντας, quia agnoscit haec Marcion; itaque aut utrobique (et in A et in R) genuina, aut utrobique spuria, sed utique non e Mt. petita. Intellege „*sive etiam ad omnes*", nam parum aptum videatur „*an etiam*", ut quaestio sit disiunctiva.

2) V. imprimis I. Rendel Harris, The Origin of the Leister Codex (Lond. 1887).

3) Hoskier A full account and collation of the Greek

Sed dubito, num qua sit ei codici cum forma B artior communio; neque enim in oratione dominica, de qua supra (p. XLIII) egimus, neque plerisque aliis locis, quibus proprii aliquid vel cum D commune habet, a genuina forma A ad alteram deflectere videtur. Nisi quod scrupulum inicere possunt maxime hi duo loci c. 6: v. 48 *διὰ τὸ καλῶς οἰκοδομῆσθαι αὐτήν* (אB al.) sive *τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν πέτραν* (ACD al., = Mt.) om. 700[1] cum e italae; 49 *καὶ ἐγένετο τὸ ῥῆγμα τῆς οἰκίας ἐκείνης μέγα* om. 700[1] solus. Namque et genuina haec videntur, neque facile casui tribueris quod omissa sunt, utique ea quae sunt in v. 48, quibus deletis apte perget scriptor secundum D *καὶ ἐγένετο ὅτε ἐπέλεσεν κτλ.*[1]) Nam priora illa (v. 48), cum antecederent *καὶ οὐκ ἴσχυσεν σαλεῦσαι αὐτήν*, facilius excidebant. Itaque num forte carebat his duobus membris forma B? Nempe accedit quod in proximis quoque apparet codicis 700 quaedam cum D societas, non in veris modo sed etiam in falsis: velut quod [illegible] *οὐδὲ ἐμαυτὸν ἠξίωσα* [illegible] et in D omissa sunt, nimirum [illegible] aut si haec est brevior forma [illegible] ad probandam illam societatem [illegible].

[illegible] neque pretio suo carentes [illegible] quam rem paucis exemplis probabo [illegible] D 28. 33 e Marcion al. [illegible] Westcottus [illegible] et ipsum, Eichhornius [illegible] qui minusculis scripti [illegible] D 157 ital. vulg.; [illegible] D it. plur.

[illegible] 1890. Iniquissimum de [illegible] p. LXVI. 1; p. 119, tan- [illegible] lectione communi [illegible] non semel spe- [illegible] alii.

[1]) [illegible] Mt., ex eis quae [illegible] sunt; quippe idem utrius- [illegible]

[illegible]

al., e minusculis autem 56. 130. 131 (v. supr. p. LXIX). 435, lectionar. 184 (= g Scriv.)[1] Sit hic locus inter dubios, quod ad A attinet[2]), facileque exciderint *καὶ τὰ ἀγαθά μου* post *γενήματά μου*; sed certe 130 rursus in societate occidentalium reperitur ibd. v. 35, ubi add. *ἐν ταῖς χερσὶν ὑμῶν* cum c f² Cypriano. Codex autem 157 Romanus ex eis est qui saepe testibus R (velut Marcioni) accedere solent.[3]) C. 22, 56 *καθήμενον πρὸς τὸ φῶς* om. cum a italae 234. 235 Havnienses, ex quibus ille manu Theodori Hagiopetritae a. 1278 in Arcadia scriptus est. C. 23, 14 *ὧν κατηγορεῖτε κατ' αὐτοῦ* cum D om. 59 nunc Cantabrigiensis et 274¹ Callipoli oriundus, nunc Parisinus. Verum haec hactenus.

§ 22. Testes latini. Nota res est, omnes interpretationes latinas, quae ante Hieronymum confectae sunt, vulgo italae nomine comprehendi, idque fieri, sed non recte, propter locum quendam Augustini. Etsi enim is locus (de doctr. christ. 2, 15) a suspicionibus criticorum per Theodorum Mommsen et Martinum Schanz satis vindicatus est, nihil tamen probat nisi fuisse quandam interpretationem latinam Italia oriundam, et fide et perspicuitate aliis praestantem, quam sunt qui ipsam Hieronymi interpretationem fuisse putent.[4]) Maneat tamen nomen receptum, oppositum Hieronymi vulgatae, qua sensim veteres interpretationes in terris occidentis abolitae sunt. Hieronymum autem scimus non funditus omnia priora sustulisse, sed praecipuis ad normam graecorum codicum, id est in Luca formae A, mutatis leviora tamen multa reliquisse, unde fit ut saepe inter testes R vulgata

---

1) V. Gregory-Tischd. p. 714.

2) Cf. Westc.-H. Introduction p. 103. Lect. 184 pro *τὰ γενήματα* hab. *τοὺς καρποὺς* (ut ac d e m *fructus*).

3) Zahn Gesch. d. Kanons I, 456, 2. 457, 3; v. et. Westc.-H. Intr. p. 154.

4) Verba Augustini haec sunt: *In ipsis interpretationibus itala ceteris praeferatur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae.* Coniecit olim Bentleius: *illa cet. pr., quae est* etc.: contra quem dixerunt Mommsen, Röm. Gesch. 5, 657 sq. adn., Schanz, Röm. Lit.-Gesch. 3, 397, alii. Videtur Augustinus „italam" Mediolani apud Ambrosium invenisse. Cf. et. E. Nestle, Einführung in das griech. NT. (Gtg. 1897) p. 57 sq.

quoque sit. Etiam plura ex interpretatione vetere in quibusdam vulgatae libris relicta sunt, fitque, si propius inspexeris, tota inter italam vulgatamque distinctio paullo incertior, quia et vetustioris generis quidam libri plerumque cum recentiore faciunt, et alii, qui huic adnumerari solent, interdum cum illo. Similiter in Actis Gigas codex mixti cuiusdam generis est. Neque enim multi codices Hieronymo antiquiores nunc supersunt, sed unus fortasse euangeliorum Vercellensis; qui autem post Hieronymum scripti sunt, plerique ex correcta illius interpretatione aliquantum assumpserunt, minus alius, at alius plus, qua ratione progredientes paullatim ad mixtos intermediosque pervenimus. Ceterum multo ante Hieronymum id fieri coepisse, ut Italiae occidentisque libri sacri et graeci et latine conversi formae in oriente receptae assimilarentur, iam supra indicavi. Sunt autem ex his latinis euangeliorum libris multi splendidissime confecti, membrana purpurea, litteris argenteis, aureis quoque ad distinguenda Dei Christique nomina intermixtis. Verum forma euangeliorum, et quod ad orthographiam grammaticamque et quod ad ipsum sensum attinet, barbariem temporum sapere solet: ita in Palatino *e* quamvis purpura argento auro splendente Lucae aliquo loco (18, 33) scripta neque correcta exstant haec: *et deteriores urguent,* orta illa ex *et die tertio resurget.*

Codices italae qui Lucam vel partem aliquam Lucae continent sunt sedecim numero, quos iam singulos recensebo.

a Vercellensis euangeliorum, saeculo ut videtur quarto scriptus, editus a Iohanne Andrea Irico a. 1748, tum una cum *b f* (f²) a. 1749 a Iosepho Blanchino (Bianchini) in libro: Evangeliarium quadruplex[1]), rursus separatim ab I. Belsheim Christianiae 1894, quam ipse editionem maxime adhibui, cum Tischendorfii octava horum italae codicum varietatem minime integram exhibeat. Codex vetustate multifariam corrosus est, ut in ipso Lucae primo capite; exciderunt Lucae folia tria (c. 11, 12—27. 12, 37—59).

a² fragmenta Curiae Rhaetorum a B. Hidbero inventa, quae ediderunt Ern. Ranke Marburgi 1872, Petr.

1) Integri ibi editi sunt abf, sed ex f² non nisi varietas lectionis.

Battifol Parisiis 1884, I. Wordsworth Oxonii 1886 (Old Latin Biblical Texts, No. II). Sunt saeculi quinti, ita autem cum *a* consentiunt, ut inde notam a^2 acceperint. Insunt Lucae 11, 11—29. 13, 16—34; itaque altera ex lacunis Vercellensis his foliis resarcitur.

b Veronensis saec. IV vel V; edidit Blanchinus una cum a f(f^2) (v. supr.). Lucae desunt 19, 26—21, 29.

c Colbertinus Parisiensis. Est recentissimus horum omnium, saeculi XI. vel XII., sed non ideo simillimus vulgatae, etsi ceterae NT^i. partes, quas cum euangeliis continet, ab illa non differunt. Edidit Petrus Sabatier a. 1751 (v. infr. ad g^1), tum denuo I. Belsheim Christianiae 1888. Habet omnia euangelia integra.

d est latina pars Cantabrigiensis D, cum graeca in universum, sed non semper consentiens.

e nunc Palatinus Vindobonensis, antea Tridentinus, saec. IV vel V, splendide editus a Tischendorfio Lipsiae 1847. Desiderantur Lucae 8, 30—47. 48. 11, 4—23. 24. Nullum praeterea inveneris inter hos, qui ex forma Romana tam multa servaverit.

f Brixianus saec. VI, a Blanchino cum *a b* editus, nunc autem a Ioh. Wordsworth in editione vulgatae latinae, quippe qui ab ea proxime absit. E Luca nihil desideratur.

f^2 Parisinus, olim Corbeiensis monasterii quod in Picardia Galliae est; secundum I. Belsheim, qui eum edidit (post Blanchinum, v. supra) Christianiae 1887, in Gallia meridionali aut in Italia saeculo V. vel VI. scriptus. Exciderunt Luc. 9, 48—10, 20. 21. 11, 45—12, 6. 7.

g^1 et g^2 Sangermanenses olim, nunc Parisini, alter saec. VIII., alter X. Hi soli inter italae codices editorem nondum invenerunt; varias tantummodo ex utroque lectiones excerpsit Petrus Sabatier (in „Bibl. sacr. Latinae versiones antiquae", Paris. 1751).

i fragmenta Marci Lucaeque Neapoli Vindobonam translata, scripta, ut Belsheimio videtur, saec. VII exeunte, ut aliis, V. vel VI., post Alterum a Belsheimio edita Lipsiae 1885.[1]) E Luca ea fragmenta continent c. 10, 6—23, 10.

1) Codex Vindobonensis membranaceus purpureus, litteris argenteis aureisque scriptus. Ed. I. Belsheim, Lipsiae 1885.

l Vratislaviensis, olim Rehdigeranus, saec. VII. Edidit Fridericus Haase in libris universitatis sollemnibus a. 1865—66. Est, quod ad Lucam attinet, paene integer (des. c. 11, 28—37).

m non est euangeliorum neque Lucae codex, sed lectionum ex omnibus paene NTi. libris excerptarum, quae „Speculum“ dictae et perperam Augustino attributae sunt. Videtur VIII. vel IX. saeculi esse. Edidit nunc inter Augustini opera Franciscus Weihrich (Aug. Opera III, 1) Vindobonae 1887.

q Monacensis, olim Frisingensis, saec. VI; edidit Wordsworthii socius Henricus White in „Old Latin biblical texts“, No. III, Oxonii 1888. Desunt e Luca 23, 22—36. 24, 11—39.

r Dublinensis saec. VI, editus a Thoma Abbott Dublinii 1884. Tischendorfius solius huius lectiones nondum noverat. Est male habitus, sed nulla ut maior lacuna existat.

s Mediolanensis Ambrosianae Bibliothecae, saec. VI., editus ab A. M. Ceriani in Monumentis sacris bibl. Ambrosianae (vol. I, Mediol. 1861), et ab Ioh. Wordsworth in „Old Biblical Texts“, No. II, Oxonii a. 1886. Sunt fragmenta, nihil complexa praeter Luc. 17, 3—29 et 18, 39—19, 47.

Ex eis libris, qui cum pro vulgatae testibus haberi soleant, retinent tamen quaedam ex antiquiore interpretatione, paucos commemoro: Foroiuliensem saec. VI vel VII (for.), Parisinum nunc, olim S. Gatiani Turonensis, saec. VIII vel IX (gat), Londiniensem, s. X vel XI (mm), S. Martini Turonensis saec. IX (mt).

§ 23. Testes Syriaci. De interpretationibus Syriacis earumque cum testibus occidentalibus antiqua cognatione egimus in praefatione Actorum. Sed cum illius libri nunc duae tantum exstent interpretationes syriacae, euangelii aliae duae accedunt, quarum altera inter testes formae R egregium locum tenet. Eius sunt duo codices, qui plerumque, etsi minime semper, inter se congruunt: alter Curetonianus dictus ab inventore Guilelmo Cureton, alter Lewisianus dicendus ab inventrice, femina rarae atque mirae eruditionis parisque laboris atque industriae, Agnesia Smith

Lewis, quae uxor fuit viri egregii mihique amicissimi, Samuelis Lewis. Haec anno 1892 in monasterio montis Sinai eum codicem ipsa invenit, quoque melius eum examinaret atque excuteret, iterum et tertio iter longinquum et difficile suscepit, comitante sorore virisque quibusdam doctis Cantabrigiensibus, ex quibus I. Rendel-Harris nominasse hoc loco sufficiat. Est autem codex rescriptus eoque maiore cum difficultate legitur, neque mirum quod editionem principem, quae prodierat Cantabrigiae a. 1894 [1]), alter liber praeter interpretationem anglicam ampla supplementa continens anno 1896 subsecutus est. [2]) Videtur codex scriptus esse vel quarto saeculo vel quinto; Curetonianum quinto putant. Verum hic non totum Lucam nunc habet, sed has tantum partes: 2, 48—3, 16; 7, 33—16, 2; 17, 1—24, 44; in Lewisiano autem paucae lacunae maiores non potuerunt expleri: c. 1, 16—38 et 5, 28—6, 12. Curetonus suum codicem edidit Londinii 1848; eiusdem interpretationem graecam, ut restitueret scilicet graecum archetypum interpretationis, confecit utilissimo labore Fridericus Baethgen. [3])

Quod autem ad indolem huius interpretationis attinet, si quis putet in ea talem fere Lucam exstare, qualem circa medium saeculum alterum Romae invenit Tatianus, in universum fortasse non longe a vero aberraverit. Caute loquendum est, non velut si ipsi aliquid sciamus vel plus sciamus eis, qui in his rebus quasi habitant: quos video — Theodorum dico Zahnium maxime — ne ipsos quidem sibi plane constitisse, sed mutasse sententiam, prout nova subsidia novam scientiam tribuissent. Sit igitur Tatiani Diatessaron (quod fuit opus ex quattuor euangeliis contextum) prima omnium interpretationum syriacarum; inde vel eius ope confectae sint paullo post interpretationes singulorum euangeliorum, sive euangelii non unius sed quadripertiti; extiterint

1) The four Gospels in Syriac, transcribed from the Sinaitic Palimpsest by Rob. L. Bensly, J. Rendel Harris and F. Crawford Burkitt, with an introduction by Agnes Smith Lewis. Cambr. 1894.

2) Some Pages of the four Gospels retranscribed from the S. P., with a translation of the whole text by A. S. L.

3) Der griech. Text des C.schen Syrers, wiederhergestellt von F. Baethgen, Lpz. 1885.

autem interpretationis eius syriacae formae non minus multae quam fuerunt latinae, et propter varios interpretes et propter adhibitos varios codices graecos, per quos factum est ut paullatim evanesceret forma antiqua Romana, induceretur Antiochena, a qua vulgatae interpretationes Syriacae non ita multum differunt.[1]) Sed magnopere ab eadem differunt Curetonianus Lewisianusque, etsi et ipsi (et paullo magis quidem Curetonianus) ex graeca forma quae regnabat in Syria occidentali non nihil receperunt. Ipsum Diatessaron quale fuerit, ex Ephraemi commentariis in id conscriptis hic illic apparet, proposuitque idem Zahnius et ordinem vetusti operis, de qua re alii quoque testes sunt, et fragmenta quotquot erui potuerunt[2]), quibus sunt quae postea Harrisii opera (ex eodem scilicet Ephraemo) accesserint.[3]) Quorum ut sit nobis quoque diligenter ratio habenda, sicut lectionum quas Curetonianus Lewisianusque praebent, non erit tamen obliviscendum aliud esse Diatessaron syriacum, aliud Lucae codicem graecum. Maior multo licentia vertendi atque etiam decurtandi conspicitur in his Syris quam in interpretibus latinis, neque mirum est eum qui quattuor nostros in unum corpus cogeret de singulis singulorum verbis non ita sollicitum fuisse. Sic ap. Mt. 4, 24 absunt ab Syro Lew. verba *καὶ ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εἰς ὅλην τὴν Συρίαν*, tum ibidem *καὶ δαιμονιζομένους καὶ σεληνιαζομένους* (*καὶ σελ.* et. k om.) *καὶ παραλυτικούς*; paulloque post (25) pro *καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοὶ κτἑ.* habet idem „*et facta magna multitudine*“: in quibus omnibus nisi Tatiani licentiam sive alius Syri interpretis mecum agnoscere velis, non invenies explicationem differentiae. Nullane ergo huic testi fides habenda? At est profecto ubi magna habenda sit vel soli vel cum paucis testanti: velut quod omittit L. 17, 10 *ἀχρεῖοι* e Matthaeo in sententiae detrimentum invectum, et Iohannis narrationem (18, 13 sqq.) cum graeco 225 in veriorem ordinem redigit, ut desinat non modo cum ce-

1) Zahn, Theologisches Literaturbl. 1895, No. 1—3.
2) Forschungen zur Gesch. des nt. Kanons Thl. I.
3) J. Rendel Harris, Fragments of the comm. of Ephr. S. upon the Diatess., Lond. 1895.

terorum sed etiam secum ipsa pugnare videri. Itaque σώφρων ἀπιστία commendatur, nihil aliud. In universum Tatianum et Lucam et reliqua euangelia ea forma habuisse, quae exstabat Romae, plurima sunt quae probent; sed fortasse hic illic quaedam ex A in Lucam admixta fuerint, si quidem c. 8, 45 alia est italae codicum lectio, alia eademque vulgaris (si fides Ephraemo) Tatiani fuit. Item c. 8, 3 non habuit Tatianus ut l italae *Κυδίου*, sed *Χουζᾶ* ut ceteri omnes: quamquam hoc quidem etiam aliam explicationem admittit. Fac enim et in archetypo Lucae et in R fuisse *Χουζᾶ τοῦ καὶ Κυδίου τοῦ ἐπιτρόπου Ἡρῴδου*: erat Syrus interpres utique peregrinum nobile nomen, quod Iudaeus ille secundum morem multorum et qui tunc fuerunt et qui nunc sunt simile patrio assumpserat, ut sibi superfluum omissurus. Porro, ut leviora alia praeteream[1]), c. 23, v. 39 videtur integer fuisse apud Tatianum, non decurtatus ut in De, et v. 42 legit ille *ἐν τῇ βασιλείᾳ σου* cum plerisque, non *ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἐλεύσεώς σου* cum D. Itaque si quis colligere velit fuisse Tatiani exemplar Lucae paullo magis cum A contaminatum quam fuerat Marcionis, nescio an satis probabiliter id statuat.

Non multa mihi dicenda sunt de Syro quem vocant hierosolymitano, euangeliorum teste minime contemnendo, sed qui ad R formam Lucae cognoscendam non multum conferat. Lectionarium est ex quattuor euangeliis excerptum, scriptum ea linguae aramaicae specie, qua in ipsa Palaestina homines utebantur. Negat Theodorus Zahn cum Tatiano hunc Syrum ullo modo coniunctum esse, etsi sunt quidam loci ubi cum illo sive etiam cum D ceterisque lectiones eius congruant.[2]) Edidit ex codice Vaticano Franc. Miniscalchi-Erizzo Veronae annis 1861—64, tum P. de Lagarde a. 1892 in Bibliotheca syriaca.

§. 24. De copticis testibus, id est maxime ea interpretatione quae sahidica dicitur, iam in Actorum praefatione satis dictum est. Sunt autem fragmenta librorum, non libri integri, partesque hae Lucae supersunt: 1, 1—2, 50. 3, 5—6, 48. 7, 11—17. 29—50. 8, 36—9, 41. 11, 5—11.

---

1) V. ad 7, 22. 47.
2) Zahn, Forsch. I, 330.

Sed dubito, num qua sit ei codici cum forma R artior communio; neque enim in oratione dominica, de qua supra (p. XLIII) egimus, neque plerisque aliis locis, quibus proprii aliquid vel cum D commune habet, a genuina forma A ad alteram deflectere videtur. Nisi quod scrupulum inicere possunt maxime hi duo loci c. 6: v. 48 διὰ τὸ καλῶς οἰκοδομῆσθαι αὐτὴν (ℵB al.) sive τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν πέτραν (ACD al., = Mt.) om. 700[1] cum e italae; 49 καὶ ἐγένετο τὸ ῥῆγμα τῆς οἰκίας ἐκείνης μέγα om. 700[1] solus. Namque et genuina haec videntur, neque facile casui tribueris quod omissa sunt, utique ea quae sunt in v. 49, quibus deletis apte perget scriptor secundum D: καὶ ἐγένετο ὅτε ἐτέλεσεν κτέ.[1]) Nam priora illa (v. 48), cum antecederent καὶ οὐκ ἴσχυσεν σαλεῦσαι αὐτήν, facilius excidebant. Itaque num forte carebat his duobus membris forma R? Nempe accedit quod in proximis quoque apparet codicis 700 quaedam cum D societas, non in veris modo sed etiam in falsis: velut quod c. 7, 7 verba Lucae aptissima διὸ οὐδὲ ἐμαυτὸν ἠξίωσα πρός σε ἐλθεῖν et in 700[1] et in D omissa sunt, nimirum quod carebat eis Matthaeus; aut si haec est brevior forma Romana, etiam plus hic locus ad probandam illam societatem valebit.

Sunt alii quoque codices neque pretio suo carentes neque ab R forma alieni, quam rem paucis exemplis probabo. C. 12, 14 ἢ μεριστὴν om. D 28. 33 c Marcion al. (R ut vid.). Codicem 28 Parisinum laudant Westcottus et Hortius[2]), alterum, Parisinum et ipsum, Eichhornius quondam regem horum omnium qui minusculis scripti sunt appellavit. — 12, 18 κἀκεῖ συνάξω D 157 ital. vulg.; καὶ τὰ ἀγαθά μου om. ℵ[1] (add. corr. [a] et [c]) D it. pler.

---

cursive codex evang. 604 [700], Lond. 1890. Iniquissimum de eo codice iudicium tulit Bousset l. c. (p. LXVII, 1) p. 119, tanquam is per meram libidinem a reliquorum lectione communi passim secederet. Sed adsunt his lectionibus non semel sponsores amplissimi: Gregorius Nyssenus, Origenes, alii.

1) Quod conveniunt haec ad verbum cum Mt., ex eis quae supra p. XIX sq. dixi explicandum erit; quippe idem utriusque consensus est in proximis c. 7, 6 sqq.

2) Introd. p. 242.

al., e minusculis autem 56. 130. 131 (v. supr. p. LXIX). 435, lectionar. 184 (= g Scriv.)[1]) Sit hic locus inter dubios, quod ad A attinet[2]), facileque exciderint καὶ τὰ ἀγαθά μου post γενήματά μου; sed certe 130 rursus in societate occidentalium reperitur ibd. v. 35, ubi add. ἐν ταῖς χερσὶν ὑμῶν cum c f[2] Cypriano. Codex autem 157 Romanus ex eis est qui saepe testibus R (velut Marcioni) accedere solent.[3]) C. 22, 56 καθήμενον πρὸς τὸ φῶς om. cum a italae 234. 235 Havnienses, ex quibus ille manu Theodori Hagiopetritae a. 1278 in Arcadia scriptus est. C. 23, 14 ὧν κατηγορεῖτε κατ' αὐτοῦ cum D om. 59 nunc Cantabrigiensis et 274[1] Callipoli oriundus, nunc Parisinus. Verum haec hactenus.

§ 22. Testes latini. Nota res est, omnes interpretationes latinas, quae ante Hieronymum confectae sunt, vulgo italae nomine comprehendi, idque fieri, sed non recte, propter locum quendam Augustini. Etsi enim is locus (de doctr. christ. 2, 15) a suspicionibus criticorum per Theodorum Mommsen et Martinum Schanz satis vindicatus est, nihil tamen probat nisi fuisse quandam interpretationem latinam Italia oriundam, et fide et perspicuitate aliis praestantem, quam sunt qui ipsam Hieronymi interpretationem fuisse putent.[4]) Maneat tamen nomen receptum, oppositum Hieronymi vulgatae, qua sensim veteres interpretationes in terris occidentis abolitae sunt. Hieronymum autem scimus non funditus omnia priora sustulisse, sed praecipuis ad normam graecorum codicum, id est in Luca formae A, mutatis leviora tamen multa reliquisse, unde fit ut saepe inter testes R vulgata

---

1) V. Gregory-Tischd. p. 714.
2) Cf. Westc.-H. Introduction p. 108. Lect. 184 pro τὰ γενήματα hab. τοὺς καρποὺς (ut a c d e m *fructus*).
3) Zahn Gesch. d. Kanons I, 456, 2. 457, 3; v. et. Westc.-H. Intr. p. 154.
4) Verba Augustini haec sunt: *In ipsis interpretationibus itala ceteris praeferatur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae.* Coniecit olim Bentleius: *illa cet. pr., quae est* etc.: contra quem dixerunt Mommsen, Röm. Gesch. 5, 657 sq. adn., Schanz, Röm. Lit.-Gesch. 3, 397, alii. Videtur Augustinus „italam" Mediolani apud Ambrosium invenisse. Cf. et. E. Nestle, Einführung in das griech. NT. (Gtg. 1897) p. 57 sq.

quoque sit. Etiam plura ex interpretatione vetere in quibusdam vulgatae libris relicta sunt, fitque, si propius inspexeris, tota inter italam vulgatamque distinctio paullo incertior, quia et vetustioris generis quidam libri plerumque cum recentiore faciunt, et alii, qui huic adnumerari solent, interdum cum illo. Similiter in Actis Gigas codex mixti cuiusdam generis est. Neque enim multi codices Hieronymo antiquiores nunc supersunt, sed unus fortasse euangeliorum Vercellensis; qui autem post Hieronymum scripti sunt, plerique ex correcta illius interpretatione aliquantum assumpserunt, minus alius, at alius plus, qua ratione progredientes paullatim ad mixtos intermediosque pervenimus. Ceterum multo ante Hieronymum id fieri coepisse, ut Italiae occidentisque libri sacri et graeci et latine conversi formae in oriente receptae assimilarentur, iam supra indicavi. Sunt autem ex his latinis euangeliorum libris multi splendidissime confecti, membrana purpurea, litteris argenteis, aureis quoque ad distinguenda Dei Christique nomina intermixtis. Verum forma euangeliorum, et quod ad orthographiam grammaticamque et quod ad ipsum sensum attinet, barbariem temporum sapere solet: ita in Palatino *e* quamvis purpura argento auro splendente Lucae aliquo loco (18, 33) scripta neque correcta exstant haec: *et deteriores urguent,* orta illa ex *et die tertio resurget.*

Codices italae qui Lucam vel partem aliquam Lucae continent sunt sedecim numero, quos iam singulos recensebo.

a Vercellensis euangeliorum, saeculo ut videtur quarto scriptus, editus a Iohanne Andrea Irico a. 1748, tum una cum *b f*(f^2) a. 1749 a Iosepho Blanchino (Bianchini) in libro: Evangeliarium quadruplex[1]), rursus separatim ab I. Belsheim Christianiae 1894, quam ipse editionem maxime adhibui, cum Tischendorfii octava horum italae codicum varietatem minime integram exhibeat. Codex vetustate multifariam corrosus est, ut in ipso Lucae primo capite; exciderunt Lucae folia tria (c. 11, 12—27. 12, 37—59).

a^2 fragmenta Curiae Rhaetorum a B. Hidbero inventa, quae ediderunt Ern. Ranke Marburgi 1872, Petr.

---

1) Integri ibi editi sunt a b f, sed ex f^2 non nisi varietas lectionis.

Battifol Parisiis 1884, I. Wordsworth Oxonii 1886 (Old Latin Biblical Texts, No. II). Sunt saeculi quinti, ita autem cum *a* consentiunt, ut inde notam a^2 acceperint. Insunt Lucae 11, 11—29. 13, 16—34; itaque altera ex lacunis Vercellensis his foliis resarcitur.

b Veronensis saec. IV vel V; edidit Blanchinus una cum a f(f^2) (v. supr.). Lucae desunt 19, 26—21, 29.

c Colbertinus Parisiensis. Est recentissimus horum omnium, saeculi XI. vel XII., sed non ideo simillimus vulgatae, etsi ceterae NT^i. partes, quas cum euangeliis continet, ab illa non differunt. Edidit Petrus Sabatier a. 1751 (v. infr. ad g^1), tum denuo I. Belsheim Christianiae 1888. Habet omnia euangelia integra.

d est latina pars Cantabrigiensis D, cum graeca in universum, sed non semper consentiens.

e nunc Palatinus Vindobonensis, antea Tridentinus, saec. IV vel V, splendide editus a Tischendorfio Lipsiae 1847. Desiderantur Lucae 8, 30—47. 48. 11, 4—23. 24. Nullum praeterea inveneris inter hos, qui ex forma Romana tam multa servaverit.

f Brixianus saec. VI, a Blanchino cum *a b* editus, nunc autem a Ioh. Wordsworth in editione vulgatae latinae, quippe qui ab ea proxime absit. E Luca nihil desideratur.

f^2 Parisinus, olim Corbeiensis monasterii quod in Picardia Galliae est; secundum I. Belsheim, qui eum edidit (post Blanchinum, v. supra) Christianiae 1887, in Gallia meridionali aut in Italia saeculo V. vel VI. scriptus. Exciderunt Luc. 9, 48—10, 20. 21. 11, 45—12, 6. 7.

g^1 et g^2 Sangermanenses olim, nunc Parisini, alter saec. VIII., alter X. Hi soli inter italae codices editorem nondum invenerunt; varias tantummodo ex utroque lectiones excerpsit Petrus Sabatier (in „Bibl. sacr. Latinae versiones antiquae", Paris. 1751).

i fragmenta Marci Lucaeque Neapoli Vindobonam translata, scripta, ut Belsheimio videtur, saec. VII exeunte, ut aliis, V. vel VI., post Alterum a Belsheimio edita Lipsiae 1885.[1]) E Luca ea fragmenta continent c. 10, 6—23, 10.

1) Codex Vindobonensis membranaceus purpureus, litteris argenteis aureisque scriptus. Ed. I. Belsheim, Lipsiae 1885.

l Vratislaviensis, olim Rehdigeranus, saec. VII. Edidit Fridericus Haase in libris universitatis sollemnibus a. 1865—66. Est, quod ad Lucam attinet, paene integer (des. c. 11, 28—37).

m non est euangeliorum neque Lucae codex, sed lectionum ex omnibus paene NTi. libris excerptarum, quae „Speculum“ dictae et perperam Augustino attributae sunt. Videtur VIII. vel IX. saeculi esse. Edidit nunc inter Augustini opera Franciscus Weihrich (Aug. Opera III, 1) Vindobonae 1887.

q Monacensis, olim Frisingensis, saec. VI; edidit Wordsworthii socius Henricus White in „Old Latin biblical texts“, No. III, Oxonii 1888. Desunt e Luca 23, 22—36. 24, 11—39.

r Dublinensis saec. VI, editus a Thoma Abbott Dublinii 1884. Tischendorfius solius huius lectiones nondum noverat. Est male habitus, sed nulla ut maior lacuna existat.

s Mediolanensis Ambrosianae Bibliothecae, saec. VI., editus ab A. M. Ceriani in Monumentis sacris bibl. Ambrosianae (vol. I, Mediol. 1861), et ab Ioh. Wordsworth in „Old Biblical Texts“, No. II, Oxonii a. 1886. Sunt fragmenta, nihil complexa praeter Luc. 17, 3—29 et 18, 39—19, 47.

Ex eis libris, qui cum pro vulgatae testibus haberi soleant, retinent tamen quaedam ex antiquiore interpretatione, paucos commemoro: Foroiuliensem saec. VI vel VII (for.), Parisinum nunc, olim S. Gatiani Turonensis, saec. VIII vel IX (gat), Londiniensem, s. X vel XI (mm), S. Martini Turonensis saec. IX (mt).

§ 23. Testes Syriaci. De interpretationibus Syriacis earumque cum testibus occidentalibus antiqua cognatione egimus in praefatione Actorum. Sed cum illius libri nunc duae tantum exstent interpretationes syriacae, euangelii aliae duae accedunt, quarum altera inter testes formae R egregium locum tenet. Eius sunt duo codices, qui plerumque, etsi minime semper, inter se congruunt: alter Curetonianus dictus ab inventore Guilelmo Cureton, alter Lewisianus dicendus ab inventrice, femina rarae atque mirae eruditionis parisque laboris atque industriae, Agnesia Smith

Lewis, quae uxor fuit viri egregii mihique amicissimi, Samuelis Lewis. Haec anno 1892 in monasterio montis Sinai eum codicem ipsa invenit, quoque melius eum examinaret atque excuteret, iterum et tertio iter longinquum et difficile suscepit, comitante sorore virisque quibusdam doctis Cantabrigiensibus, ex quibus I. Rendel-Harris nominasse hoc loco sufficiat. Est autem codex rescriptus eoque maiore cum difficultate legitur, neque mirum quod editionem principem, quae prodierat Cantabrigiae a. 1894[1]), alter liber praeter interpretationem anglicam ampla supplementa continens anno 1896 subsecutus est.[2]) Videtur codex scriptus esse vel quarto saeculo vel quinto; Curetonianum quinto putant. Verum hic non totum Lucam nunc habet, sed has tantum partes: 2, 48—3, 16; 7, 33—16, 2; 17, 1—24, 44; in Lewisiano autem paucae lacunae maiores non potuerunt expleri: c. 1, 16—38 et 5, 28—6, 12. Curetonus suum codicem edidit Londinii 1848; eiusdem interpretationem graecam, ut restitueret scilicet graecum archetypum interpretationis, confecit utilissimo labore Fridericus Baethgen.[3])

Quod autem ad indolem huius interpretationis attinet, si quis putet in ea talem fere Lucam exstare, qualem circa medium saeculum alterum Romae invenit Tatianus, in universum fortasse non longe a vero aberraverit. Caute loquendum est, non velut si ipsi aliquid sciamus vel plus sciamus eis, qui in his rebus quasi habitant: quos video — Theodorum dico Zahnium maxime — ne ipsos quidem sibi plane constitisse, sed mutasse sententiam, prout nova subsidia novam scientiam tribuissent. Sit igitur Tatiani Diatessaron (quod fuit opus ex quattuor euangeliis contextum) prima omnium interpretationum syriacarum; inde vel eius ope confectae sint paullo post interpretationes singulorum euangeliorum, sive euangelii non unius sed quadripertiti; extiterint

1) The four Gospels in Syriac, transcribed from the Sinaitic Palimpsest by Rob. L. Bensly, J. Rendel Harris and F. Crawford Burkitt, with an introduction by Agnes Smith Lewis. Cambr. 1894.

2) Some Pages of the four Gospels retranscribed from the S. P., with a translation of the whole text by A. S. L.

3) Der griech. Text des C.schen Syrers, wiederhergestellt von F. Baethgen, Lpz. 1885.

autem interpretationis eius syriacae formae non minus multae quam fuerunt latinae, et propter varios interpretes et propter adhibitos varios codices graecos, per quos factum est ut paullatim evanesceret forma antiqua Romana, induceretur Antiochena, a qua vulgatae interpretationes Syriacae non ita multum differunt.[1]) Sed magnopere ab eadem differunt Curetonianus Lewisianusque, etsi et ipsi (et paullo magis quidem Curetonianus) ex graeca forma quae regnabat in Syria occidentali non nihil receperunt. Ipsum Diatessaron quale fuerit, ex Ephraemi commentariis in id conscriptis hic illic apparet, proposuitque idem Zahnius et ordinem vetusti operis, de qua re alii quoque testes sunt, et fragmenta quotquot erui potuerunt[2]), quibus sunt quae postea Harrisii opera (ex eodem scilicet Ephraemo) accesserint.[3]) Quorum ut sit nobis quoque diligenter ratio habenda, sicut lectionum quas Curetonianus Lewisianusque praebent, non erit tamen obliviscendum aliud esse Diatessaron syriacum, aliud Lucae codicem graecum. Maior multo licentia vertendi atque etiam decurtandi conspicitur in his Syris quam in interpretibus latinis, neque mirum est eum qui quattuor nostros in unum corpus cogeret de singulis singulorum verbis non ita sollicitum fuisse. Sic ap. Mt. 4, 24 absunt ab Syro Lew. verba *καὶ ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εἰς ὅλην τὴν Συρίαν*, tum ibidem *καὶ δαιμονιζομένους καὶ σεληνιαζομένους* (*καὶ σελ.* et. k om.) *καὶ παραλυτικούς*; paulloque post (25) pro *καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοὶ κτἑ.* habet idem „*et facta magna multitudine*“: in quibus omnibus nisi Tatiani licentiam sive alius Syri interpretis mecum agnoscere velis, non invenies explicationem differentiae. Nullane ergo huic testi fides habenda? At est profecto ubi magna habenda sit vel soli vel cum paucis testanti: velut quod omittit L. 17, 10 *ἀχρεῖοι* e Matthaeo in sententiae detrimentum invectum, et Iohannis narrationem (18, 13 sqq.) cum graeco 225 in veriorem ordinem redigit, ut desinat non modo cum ce-

---

1) Zahn, Theologisches Literaturbl. 1895, No. 1—3.
2) Forschungen zur Gesch. des nt. Kanons Thl. I.
3) J. Rendel Harris, Fragments of the comm. of Ephr. S. upon the Diatess., Lond. 1895.

terorum sed etiam secum ipsa pugnare videri. Itaque *σώφρων ἀπιστία* commendatur, nihil aliud. In universum Tatianum et Lucam et reliqua euangelia ea forma habuisse, quae exstabat Romae, plurima sunt quae probent; sed fortasse hic illic quaedam ex A in Lucam admixta fuerint, si quidem c. 8, 45 alia est italae codicum lectio, alia eademque vulgaris (si fides Ephraemo) Tatiani fuit. Item c. 8, 3 non habuit Tatianus ut l italae *Κυδίου*, sed *Χουζᾶ* ut ceteri omnes: quamquam hoc quidem etiam aliam explicationem admittit. Fac enim et in archetypo Lucae et in R fuisse *Χουζᾶ τοῦ καὶ Κυδίου τοῦ ἐπιτρόπου Ἡρῴδου*: erat Syrus interpres utique peregrinum nobile nomen, quod Iudaeus ille secundum morem multorum et qui tunc fuerunt et qui nunc sunt simile patrio assumpserat, ut sibi superfluum omissurus. Porro, ut leviora alia praeteream[1]), c. 23, v. 39 videtur integer fuisse apud Tatianum, non decurtatus ut in D e, et v. 42 legit ille *ἐν τῇ βασιλείᾳ σου* cum plerisque, non *ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἐλεύσεώς σου* cum D. Itaque si quis colligere velit fuisse Tatiani exemplar Lucae paullo magis cum A contaminatum quam fuerat Marcionis, nescio an satis probabiliter id statuat.

Non multa mihi dicenda sunt de Syro quem vocant hierosolymitano, euangeliorum teste minime contemnendo, sed qui ad R formam Lucae cognoscendam non multum conferat. Lectionarium est ex quattuor euangeliis excerptum, scriptum ea linguae aramaicae specie, qua in ipsa Palaestina homines utebantur. Negat Theodorus Zahn cum Tatiano hunc Syrum ullo modo coniunctum esse, etsi sunt quidam loci ubi cum illo sive etiam cum D ceterisque lectiones eius congruant.[2]) Edidit ex codice Vaticano Franc. Miniscalchi-Erizzo Veronae annis 1861—64, tum P. de Lagarde a. 1892 in Bibliotheca syriaca.

§. 24. De copticis testibus, id est maxime ea interpretatione quae sahidica dicitur, iam in Actorum praefatione satis dictum est. Sunt autem fragmenta librorum, non libri integri, partesque hae Lucae supersunt: 1, 1—2, 50. 3, 5—6, 48. 7, 11—17. 29—50. 8, 36—9, 41. 11, 5—11.

1) V. ad 7, 22. 47.
2) Zahn, Forsch. I, 330.

27—32. 37—52. 12, 5—16, 7. 16, 16—23. 17, 7—21, 38. 21, 6—24, 53. Ne vulgata quidem integraque versio Aegyptiaca, Bohairica sive coptica dicta, ad rem nostram plane inutilis est.

Denique ne immemor sim antiquissimi patriae linguae monumenti, interpretationis Gothicae saeculo quarto ab Ulfila factae haec supersunt fragmenta ad Lucam pertinentia: 1, 1—10, 30. 14, 9—16, 24. 17, 3—20, 46. Non est interpretatio ipsa in Italia facta, sed codices quorum fragmenta habemus in Italia scripti sunt; itaque quod inest lectionum occidentalium — inest autem aliquid neque tamen multum — refingendo ab hominibus in Italia degentibus invectum esse potest.

§ 25. Ex his igitur tot testibus colligendum eligendumque fuit, quod ad formam Romanam pertinere videretur. Neque potui ex eis unum aliquem ita seligere, ut huic confisus diffiderem ceteris: id quod faciendum mihi fuisse putavit in Actorum editione clarissimus vir Adolfus Hilgenfeld[1]), fautor alioquin β formae studiosissimus. Is enim Syrum posteriorem ceteris praeferendum fuisse putat, neque immerito laudat Thomae diligentiam, qui ex codice suo graeco omnem lectionis varietatem sedulo excerpserit. Verum reliquum est ut ipsum codicem graecum, quo Thomas usus est, monstret nobis sinceram formam β habuisse, nulla re vel omissa vel mutata vel ex α male addita. Hoc igitur quoniam nondum demonstravit, nondum possum concedere perversam meam rationem fuisse. At omnino id ne sperare quidem licet, unquam fore ut de singulis omnibus locis omnibus conveniat, sed erit semper dubitandi amplus locus, in euangelio quidem etiam multo magis quam in Actis. Marcionem si integrum haberemus, fortasse satis tutum esset eum ducem sequi, praeterquam si qua suarum gratia opinionum vel omisit vel mutavit; nunc fragmentula sunt Marcionis, utilissima ubi adsint, sed quae plerumque deficiant. Et ut dicam quod sentio, non est vel humani ingenii vel nostrarum opum haec euangelia in pristinam formam sive pristinas formas restituere, sed Pauli illud *ἐκ μέρους γινώσκομεν* in his

1) Berliner Philolog. Wochenschr. 1896, no. 43.

minutis rebus perinde fixum et immutabile haeret atque in maximis, in quibus si aequo animo id ferimus, quidni etiam in minimis? Sunt enim haec minima de quibus dubitetur; summa autem euangeliorum quin fideliter ad nos usque transmissa sit non est cur dubitemus.

Itaque reliquum est ut huius praefationis longiusculae et tortuosae ea quae praecipua sunt paucis complectar. Euangelia homines scribere coeperunt in ipsa Iudaea, postquam discessu apostolorum viva vox illorum obmutuit, scilicet ut esset unde eadem, quae illi de Iesu dictis factisque narraverant, et cognoscerentur et recitarentur. Inter primos Marcus Petri assecla euangelium scripsisse videtur, rebus sententiisque cum eo quod habemus satis congruens, sermone diverso et ut puto aramaico. Hunc aliosque auctores complures secutus Lucas in Palaestina primum, annis fere 54—56, euangelium suum composuit, in usum Christianorum graece loquentium, ex quibus etiam uni librum suum nominatim inscripsit. Idem mox Romam cum Paulo profectus et in societatem Romanorum Christianorum receptus, his quoque libri copiam fecit, novo exemplari eius conscripto, in quo ut fit multa in brevius erant contracta, pauca quaedam addita, talia potissimum quae in Palaestina Syriaque propter offensionem Iudaeorum melius visum esset reticere. Nactus autem sive Romae sive iam ante in Palaestina librum aramaicum eas res complexum, quas Petrus ceterique post Christi assumptionem gesserant, consilium continuandi sui operis cepit, scripsitque alterum librum quo et haec graece expressit Paulique res gestas de suo persecutus est. Quem librum Romae scriptum primis ut par erat Romanis impertivit, forma etiamnum rudiore et saepe prolixa; perpolitum magis eiusdem exemplum magisque castigatum postea in usum Theophili ceterorumque qui in orientis terris degebant confecit. Sit autem is liber scriptus annis fere 57—59. Propagatum est utrumque exemplar et Actorum et euangelii, obtinuitque ab initio Romana forma occidentem, altera orientem; sed saeculo secundo illa per Tatianum Syriam orientalem occupavit, i. e. eam quae sua lingua, non graeca utebatur. Intravit eadem per frequens commercium etiam Aegyptum; sed non po-

tuit diu vel in ea terra vel in Syria vel ipsa Roma a commixtione alterius intacta manere. Semper enim illud Pauli Romanis sive Syris opponi poterat: ἢ ἀφ' ὑμῶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ἐξῆλθεν; Itaque contaminatum neque prorsus sincerum euangelii formae R exemplar iam Tatianus habuisse videtur, fortasse iam Marcion habuit, et multo magis est contaminatum euangelium quam Acta, quo magis illud his dignitate et usu praestabat. Itaque quanquam ipse D aeque fortasse sincerus R formae testis in utroque scripto est, latinorum tamen testium euangelii nullus cum Floriacensi Actorum comparari potest, et manserunt Actorum formae R reliquiae non prorsus exiguae usque in libros saec. XV scriptos. Crediderim Galliam maxime huic formae et euangelii et Actorum saluti fuisse, si quidem ibi D originem habuit, sicut habuerunt Floriacensis et Paris. 321 Actorum.

Haec autem etsi scripsi pleraque veluti sciens, nolim tamen ita accipi, tanquam aut iurare in ea quasi in articulos quosdam fidei paratus sim, aut ex praemissis quibusdam axiomatis mathematica ratione certa collecta esse asseverem. Respuit ipsum argumentum rationem mathematicam, sed nihilominus recte fieri puto quod fit in similibus omnibus, ut rerum traditarum arta confinia comparando colligendo ratiocinando paullum dilatare conemur. Si longinque ab eis finibus recesseris, nihil ages; at si iuxta remanseris, poteris acquirere quae satis tuto possideas. Quare a coniecturis audacioribus omnibus me continui, quamvis proclive interdum conicere esse videretur. Meliora si quis docebit, libenti animo amplectar. De ipsius autem Romanae formae hac restitutione satis me puto declarasse sententiam meam, tantum abesse ut pro perfecta hanc editionem habeam, ut sit mihi persuasum atque certum: si quo felici casu repertum sit Marcionis euangelium, fore ut in unaquaque pagina vel denae vel plures res et leviores et graviores mihi corrigendae sint.

In emendandis plagulis Lucae indefessam operam mihi praestitit adulescens doctissimus Carolus Crönert, benignissime adiuvit etiam Eberhardus Nestle, ut sperare possim fore ut non multa menda relicta invenias. Item ad

praefationem corrigendam amicam opem tulit praeter Ernestum Lippelt, quem saepius commemoravi, collega coniunctissimus Georgius Wissowa. Hoc monitum velim, in adnotationem criticam consulto me non omnia recepisse, quae poterant vel ex italae codicibus vel ex Syris vel ex ipso D adnotari: quippe praesto est Tischendorfii editio, ex qua facili negotio et haec suppleas et ea quae ad A formam huius euangelii pertinent.

Scr. Halis Sax. mense Iulio 1897.

Fridericus Blass,
Dr. phil. D. th. Gryphisw.

Indiculus locorum, de quibus in praefatione agitur.

Conspectus notarum.

Codd. graeci:
D = Cantabrig. Bezae.
א = Sinaiticus, nunc Petropolitanus.
X = Monacensis.

D^1, $א^1$ etc. = D, א pr. man.; $א^a$ = א corr. manu ^{a} (saec. IV), $א^b$, $א^c$ sive $א^{ca}$, $א^{cb}$ = corr. manu ^{b} (VI s.), ^{c} = ^{ca} (VII s.), ^{cb} (VII s.). (Interdum ad designandam m. pr. asteriscum adhibui: 1^* = 1 pr. m.) (Codd. α maiusculis litt. scripti: ABCEF [F^w = F teste Wetsteinio] GHKL etc., notati litteris maiusc. latinis vel graecis; codd. minusculi numeris notati sunt: 1. 2. etc.)

Testes latini:
it = italae quae dicitur codices sedecim hi:
a = Vercellensis.
a^2= fragmenta Curiensia.
b = Veronensis.
c = Colbertinus Parisiensis.
d = Cantabr. D pars latina.
e = Palat. Vindob.
f = Brixianus.
f^2= Corbeiensis, nunc Paris.
g^1 et g^2 = Sangermanenses, nunc Paris.
i = fragmenta Vindobonensia.
l = Vratislaviensis.
m = Speculum Pseudo-Augustini.
q = Monacensis.
r = Dublinensis.
s = Mediolanensis.
v = vulgata Sixtina vel Clementina.
(De codicibus quibusdam vulgatae v. p. LXXIV.)

Testes linguis orientalibus usi:
s^c = Syrus Curetonianus.
s^l = Syrus Lewisianus.
s^{sch} = Peschittâ ed. Leusden-Schaaf.
s^p = Syrus posterior sive Philoxenianus.
s^h = Syrus hierosolymitanus.
sah. = interpretatio coptica quae sahidica dicitur.
goth. = interpretatio Ulfilae gothica.

[—] spuria et in α et in β; ⟦ — ⟧ spuria in β, sed non in α; ⟨ — ⟩ ex coniectura addita.

Litteris diductis ea insigniuntur, quae videntur formae β (R) propria esse.

Notam ∧ adhibui ut indicarem, esse ibi aliquid in β forma omissum; eandem duplicavi (∧∧), ubi paullo plura ab ea forma absunt.

Nota † indicavi collocationis verborum inter α et β differentiam.

1 Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν 1
τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων, 2 καθὰ παρέ-
δοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ᾽ ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι
τοῦ λόγου, 3 ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν
ἀκριβῶς καθεξῆς σοι γράψαι, κράτιστε Θεόφιλε, 4 ἵνα ἐπιγνῷς
περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν.

5 Ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρῴδου βασιλέως τῆς Ἰου-
δαίας ἱερεύς τις ὀνόματι Ζαχαρίας ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά, καὶ
γυνὴ αὐτῷ ἐκ τῶν θυγατέρων Ἀαρών, καὶ τὸ ὄνομα αὐτῆς
Ἐλῖσάβετ. 6 ἦσαν δὲ δίκαιοι ἀμφότεροι ἐνώπιον τοῦ θεοῦ,
πορευόμενοι ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασιν τοῦ
κυρίου ἄμεμπτοι. 7 καὶ οὐκ ἦν αὐτοῖς τέκνον, καθότι ἦν
ἡ Ἐλῖσάβετ στεῖρα, καὶ ἀμφότεροι προβεβηκότες ἐν ταῖς
ἡμέραις αὐτῶν. 8 ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἱερατεύειν αὐτὸν ἐν τῇ
τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ ἔναντι τοῦ θεοῦ, 9 κατὰ τὸ ἔθος
τῆς ἱερατείας ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι εἰσελθὼν εἰς τὸν ναὸν
τοῦ κυρίου, 10 καὶ πᾶν τὸ πλῆθος τοῦ λαοῦ ἦν προσευχό-

2 *περὶ* ante *τῶν* om. it. (praeter de) v Euseb. h. e. 3, 24, 15. Ambr. (hab. *περὶ*, om. *διήγ*. Hieron. Origenis interpres) | *ἐν ἡμῖν* om. r? | *καθὰ* D Euseb. (h. e. 3, 4, 3. dem. eu. 120) pro *καθὼς* ‖ 2 sqq. Ap. Severianum Gabalensem (Chrys. XII, 567) comparet fort. brevior forma prooemii: *πραγμ., ἔδοξε κἀμοὶ παρακολουθηκότι* (sic, v. l. *παρακολουθῆσαι*) *τοῖς πᾶσιν ἀπ᾽ ἀρχῆς γράψαι, καθὼς κτἑ.* Cf. praef. § 19 ‖ 4 *κἀμοὶ*] add. *et spiritui sancto* b g¹q al., cf. Act. 15, 28 (Tschd.) ‖ 6 *περὶ* non exprim. s¹ | *ὧν*] *τῶν* D¹ ‖ 7 *τοῦ βασιλ.* D cum plerisque ‖ 8 *Ἀβιάμ* el*s¹ ‖ 9 *καὶ ὄν. αὐτῇ* r ‖ 10 *Ἐλ-εθ* D ut v. 35. 40 (*-εδ* 13. 41) | *ἐνώπιον* D cum plerisque pro *ἐναντίον* | 10 *τ. κυρίου* r; 11 sq. *τ. θεοῦ* lr ‖ 11 *πάσαις* om. Orig. (Hilgenf. Ztschr. 1892, 106) ‖ 13 *ἦσαν* post *ἀμφ.* De, post *προβ.* bcff²g¹qr, post *αὐτῶν* al., om. 700. Cf. v. 18 ‖ 14 *δὲ*] add. *in diebus illis* r | *αὐτὸν*] *Zachar.* (ut cl Ambros.), om. *ἐν τῇ τάξει* r ‖ 15 *dominum* e, *dominum deum* cl Ambr. ‖ 17 *κυρ.*] *θεοῦ* C¹D, *τοῦ κ.*

μενον ἔξω τῇ ὥρᾳ τοῦ θυμιάματος. 11 *ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος κυρίου ἑστὼς ἐκ δεξιῶν τοῦ θυσιαστηρίου τοῦ θυμιάματος.* 12 *καὶ ἐταράχθη Ζαχαρίας ἰδών, καὶ φόβος ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτόν.* 13 *καὶ εἶπεν πρὸς αὐτὸν ὁ ἄγγελος· „Μὴ φοβοῦ, Ζαχαρία, διότι εἰσηκούσθη ἡ δέησίς σου, καὶ ἡ γυνή σου Ἐλισάβετ γεννήσει σοι υἱόν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰωάνην,* 14 *καὶ ἔσται σοι χαρὰ καὶ ἀγαλλίασις, καὶ πολλοὶ ἐπὶ τῇ γενέσει αὐτοῦ χαρήσονται.* 15 *ἔσται γὰρ μέγας ἐνώπιον τοῦ κυρίου, καὶ οἶνον καὶ σίκερα οὐ μὴ πίῃ, καὶ πνεύματος ἁγίου πλησθήσεται ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ,* 16 *καὶ πολλοὺς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐπιστρέψει ἐπὶ κύριον τὸν θεὸν αὐτῶν.* 17 *καὶ αὐτὸς προελεύσεται ἐνώπιον αὐτοῦ ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἠλίου, ἐπιστρέψαι καρδίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, καὶ ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων, ἑτοιμάσαι κυρίῳ λαὸν κατεσκευασμένον.“* 18 *καὶ εἶπεν Ζαχαρίας πρὸς τὸν ἄγγελον· „Κατὰ τί γνώσομαι τοῦτο; ἐγὼ γάρ εἰμι πρεσβύτης, καὶ ἡ γυνή μου προβεβηκυῖα ἐν ἡμέραις αὐτῆς.“* 19 *ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτῷ· „Ἐγώ εἰμι Γαβριὴλ ὁ παρεστὼς ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, καὶ ἀπεστάλην λαλῆσαι πρός σε καὶ εὐαγγελίσασθαί σοι ταῦτα.* 20 *καὶ ἰδοὺ ἔσῃ σιωπῶν καὶ μὴ δυνάμενος λαλῆσαι ἄχρις ἡμέρας ἧς γένηται ταῦτα, ἀνθ' ὧν οὐκ ἐπίστευσας τοῖς λόγοις μου, οἵτινες πλησθήσονται εἰς τὸν καιρὸν αὐτῶν.“* 21 *καὶ ἦν ὁ λαὸς προσδεχόμενος τὸν Ζαχαρίαν, καὶ ἐθαύμαζον ἐπὶ τῷ χρονίζειν αὐτόν.* 22 *ἐξελθὼν δὲ οὐκ ἠδύνατο λαλῆσαι αὐτοῖς, καὶ ἐπέγνωσαν ὅτι ὀπτασίαν ἑόρακεν ἐν τῷ ναῷ· καὶ αὐτὸς ἦν διανεύων αὐτοῖς, καὶ διέμενεν κωφός.* 23 *καὶ ἐγένετο ὡς*

om. s[1] | *ἦν* h. l. DA al. | *τοῦ λ.* om. bcl (v. 21), recte fort., cf. A 2, 6 ‖ 17 sq. *ἑστηκὸς καὶ προσ.* (om. *ἔξω* ut beq, l pr.; similia *orans foris hora*) s[1]

2 *κυρίου* om. b (v. l. ap. Ambr.) ‖ 3 *et Z. turbatus est videns* v, *et vid. Z.* (*angelum* l add.) *t. est* bcff[2]lq. Cf. v. 29 v. l. ‖ 4 *καὶ εἶπεν* D it. part. pro *ε. δὲ* | *ἄγγ.*] add. *λέγων* bcff[2]r ‖ 5 *διότι ἰδοὺ* acf[2]lqr Ambr. ‖ 6 *σοι* post *υἱόν* om. D Ambr. sah., hab. ante *υἱ.* it v ‖ 7 De al. pro *χ. σοι* ‖ 10 *ἐν κοιλίᾳ* celr Ambr. ‖ 12 *αὐτὸς* om. r Orig. interpr. ‖ 16 *γὰρ*] *δὲ* r ‖ 17 *ταῖς* ante *ἡμ.* om. 700 ‖ 18 ita 700 pro *καὶ ἀπ. ὁ ἄγγ.* | *αὐτῷ* om. l ‖ 19 D pro *παρεστηκὼς* | *λαλῆσαι πρός σε καὶ* om. Ambr. ‖ 21 D pro *ἄχρι* | D pro *ἧς ἡμ.* ‖ 22 D Ξ pro *πληρωθ.* ‖ 23 D pro *προσδοκῶν* ‖ 24 *ἐπὶ* D pro *ἐν* ‖ 25 *ἐν τῷ ναῷ* (v. 22) post *αὐτόν* ℵACD al., ante *α.* BLΞ, om. 108. 700 ‖ 26 *ἑώρ.* D al. ‖ 27 *διέμεινεν* D it (praet. d) v

ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, τότε ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ. 24 καὶ μετὰ τὰς ἡμέρας ταύτας συνέλαβεν Ἐλισάβετ ἡ γυνὴ αὐτοῦ, καὶ περιέκρυβεν ἑαυτὴν μῆνας πέντε, λέγουσα 25 ὅτι „οὕτως μοι πεποίηκεν κύριος ἐν ἡμέραις αἷς ἐπεῖδεν ἀφελεῖν ὄνειδός μου ἐν ἀνθρώποις.“ 26 Ἐν αὐτῷ δὲ τῷ καιρῷ ἀπεστάλη ὁ ἄγγελος Γαβριὴλ ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς πόλιν τῆς Γαλιλαίας ᾗ ὄνομα Ναζαρέθ, 27 πρὸς παρθένον ἐμνηστευμένην ἀνδρὶ ᾧ ὄνομα Ἰωσήφ, ἐξ οἴκου Δαυίδ, καὶ τὸ ὄνομα τῆς παρθένου Μαριάμ. 28 καὶ εἰσελθὼν πρὸς αὐτὴν εὐηγγελίσατο αὐτὴν εἰπών· „Χαῖρε, κεχαριτωμένη· ὁ κύριος μετὰ σοῦ.“ 29 ἡ δὲ [ἐπὶ τῷ λόγῳ] ἐταράχθη, καὶ ἦν διαλογιζομένη, ποταπὸς ἂν εἴη ὁ ἀσπασμὸς οὗτος. 30 καὶ εἶπεν αὐτῇ ὁ ἄγγελος· „Μὴ φοβοῦ, Μαρία· εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ θεῷ. 31 ἰδοὺ συλλήμψῃ ἐν γαστρί, καὶ τέξῃ υἱόν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν. 32 οὗτος ἔσται μέγας, καὶ υἱὸς ὑψίστου κληθήσεται, καὶ δώσει αὐτῷ κύριος ὁ θεὸς τὸν θρόνον Δαυὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, 33 καὶ βασιλεύσει ἐπὶ τὸν οἶκον

1 *τότε* add. D ‖ 2 D pro *μετὰ δὲ* | DE pro *ταύτας τὰς ἡμ.* ‖ 5 *ἐφεῖδεν* D ‖ 6 *in ipso autem tempore* Iren. (cf. c. 13, 1), *eodem. a. t.* abcf[2] (l pr.) Ambr., pro *ἐν δὲ τῷ μηνὶ τῷ ἕκτῳ* (*τῷ ἕ. μ.* D, non d), recte puto, cf. vv. 24. 36 ‖ 7 *πόλιν Γαλιλαίαν*, om. *ᾗ ὄν. N.* (*quae vocatur N.* e) D, ex *εἰς τὴν Γ-αν* / *εἰς πόλιν ᾗ ὄν. N.* (ut confusi sint inter se similes *στίχοι*)? cf. v. 39. c. 2, 4. 39 ‖ 8 *μεμνησμενην* D, *μεμνηστ.* B[2] al., cf. c. 2, 5 ‖ 10 *ὁ ἄγγελος* add. ante *πρὸς* ACD al., post *αὐτὴν* ℵ al., om. BLΞ | *εὐηγγελίσατο* (cf. v. 19) *αὐτὴν εἰπών* pro *εἶπεν* Iustin. (Apol. 1, 33) ar, item sed *καὶ εἶπεν* Λ 229. 262[1]. 565. bef[2]l; lat. praet. b *benedixit* = *εὐλόγησεν* (*ben. et ev. eam* l pr., corr. del. *eam*); vid. omissa propter *αὐτὴν* recurrens ‖ 11 *σοῦ*] add. ACD al. it v (cf. Tat.) *εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν*, ex v. 42 (*χαῖρε κεχ.* om. b) | *ἐπὶ τῷ λόγῳ* om. C[1] (Griesb.), hab. post *ἐταρ.* A al., ibd. abef[2]lr Ambr. hab. *in* (*ad* e, om. f[2], l pr.) *introitu* (*-um* e, l pr.) *eius*. Praeterea *ἡ δὲ ἰδοῦσα* (vel *ἰδ. αὐτὸν* vel *ἀκούσασα*) multi ‖ 12 D pro *διεταρ.*, cf. v. 12 (*admirata est* e) | *διελογίζετο* cett. (add. *ἐν ἑαυτῇ* D); sed *ἦν διαλογιζομένη* al (it. e, sed om. *καὶ ἦν*; Ambr. *erat tamen*) | *ποδαπὸς* D | *ἂν* add. D, cf. v. 62 al. | pro *ποτ. κτέ.* abr al. *ὅτι οὕτως εὐλόγησεν αὐτήν*; ead. fg[1] goth. post. *οὗτος* add. ‖ 13 *αὐτῇ ὁ ἄ.* Dbff[2]g[1]qr pro *ὁ ἄ. α.* ‖ 14 D pro *Μαριάμ* | *γὰρ* om. f[2]q | *ante deum* Cypr. p. 76 H., cf. Orig. interpr. | *καὶ* ante *ἰδοὺ* om. e Cypr. l. c. Origen. in Luc. (interpr.), cf. Iustin. l. c.

Ἰακὼβ εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος.“ 34 καὶ εἶπεν Μαρία πρὸς τὸν ἄγγελον· „Πῶς ἔσται τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω;“ 35 καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἄγγελος εἶπεν αὐτῇ· „Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σέ, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι, διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον κληθήσεται υἱὸς θεοῦ. 36 καὶ ἰδοὺ Ἐλισάβετ ἡ συγγενίς σου καὶ αὐτὴ συνειληφυῖα υἱὸν ἐν γήρει αὐτῆς, καὶ οὗτος μὴν ἕκτος ἐστὶν αὐτῇ τῇ καλουμένῃ στείρᾳ, 37 ὅτι οὐκ ἀδυνατήσει πᾶν ῥῆμα τῷ θεῷ.“ 38 καὶ εἶπεν Μαρία· „Ἰδοὺ ἡ δούλη κυρίου· γένοιτό μοι κατὰ τὸ ῥῆμά σου.“ καὶ ἀπέστη ἀπ᾽ αὐτῆς ὁ ἄγγελος. 39 Ἀναστᾶσα δὲ Μαρία ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις ἐπορεύθη εἰς τὴν ὀρεινὴν μετὰ σπουδῆς εἰς πόλιν Ἰούδα, 40 καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον Ζαχαρίου καὶ ἠσπάσατο τὴν Ἐλισάβετ. 41 καὶ ἐγένετο ὡς ἤκουσεν τὸν ἀσπασμὸν τῆς Μαρίας ἡ Ἐλισάβετ, ἐσκίρτησεν τὸ βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ αὐτῆς, καὶ ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου, 42 καὶ ἀνεφώνησεν φωνῇ μεγάλῃ καὶ εἶπεν· „Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν, καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου. 43 καὶ πόθεν μοι τοῦτο, ἵνα ἔλθῃ ἡ μήτηρ τοῦ κυρίου μου πρός με; 44 ἰδοὺ γὰρ ὡς ἐγένετο ἡ φωνὴ τοῦ ἀσπασμοῦ σου εἰς τὰ ὦτά μου, ἐσκίρτησεν ἐν ἀγαλλιάσει τὸ βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ μου. 45 καὶ μακαρία ἡ πιστεύσασα, ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ κυρίου.“
46 καὶ εἶπεν Μαρία· „Μεγαλύνει ἡ ψυχή μου τὸν κύριον,
47 καὶ ἠγαλλίασεν τὸ πνεῦμά μου ἐν τῷ θεῷ τῷ σωτῆρί

1 *τὸν αἰῶνα* pro *τοὺς αἰῶνας* 700. Euseb. dem. ev. 339 (non 353). ‖ 2 D a pro *εἶπεν δὲ* (*et ait illi M.* a) | *Μαρία* C¹D¹ pro *-ιὰμ* | *πῶς .. γινώσκω*] b *ἰδοὺ .. σου* ex v. 38, ubi om. *καὶ εἶπεν .. σου* cum e (est v. 37 sq. quasi homoeotel., *ῥῆμα*) ‖ 4 *ἐπελεύσ.* om. Clem. III, 448 Dind., cf. c. 4, 18, contra *ἐπὶ σέ* om. s^sch (Tat.) Theod. Mopsu. ‖ 7 *συνειληφυῖα* ACD al., cf. c. 5, 18: *συνείληφεν* ℵBLΞ ‖ 9 *πᾶν ῥῆμα* h. l. D | *τῷ θεῷ* ƀcef²lq Ambr.: *παρὰ τ. θ.* (*π. τοῦ θεοῦ* ℵ¹ [corr. ᶜ] BD al.). cf. v. l. 18, 27 | pro *εἶπεν δὲ* Da; *et respondens M. dixit* r | *Μαρία* C¹D ut 2 ‖ 10 *δούλη σου κύριε* Iren. ‖ 11 D pro *ἀπῆλθεν*, cf. Act. 12, 10 | *Μαρία* D ut 9 ‖ 12 *ἐπορεύετο* ℵ ‖ 16 *ἐν τῇ κ. τῆς Ἐ. τὸ βρ. αὐτῆς* D ‖ 17 *ἡ Ἐλισ.* post *ἁγίου* om. e Ambros. Cypr. p. 73 H. Euseb. dem. ev. 500 Orig. in Luc. (interpr.) | *καὶ εἶπεν*] *dicens* bclr ‖ 19 *καὶ* ante *πόθ.* om. s^lsch (Tat.) ‖ 23 *αὐτῇ*] *σοι* acef²lqr ‖ 24 *Μαρία* C¹D. Sed abl* *Elisabet*, cf. al. testes ap. Tschd. ‖ 25 *ἐν* D: *ἐπὶ* | *σωτηρίῳ* (*salutari*) it. v

μου, 48 *ὅτι ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης*
αὐτοῦ. ἰδοὺ γὰρ ἀπὸ τοῦ νῦν μακαριοῦσίν με πᾶσαι αἱ
γενεαί, 49 *ὅτι ἐποίησέν μοι μεγάλα ὁ δυνατός, καὶ ἅγιον*
τὸ ὄνομα αὐτοῦ, 50 *καὶ τὸ ἔλεος αὐτοῦ εἰς γενεὰς καὶ*
γενεὰς τοῖς φοβουμένοις αὐτόν. 51 *ἐποίησεν κράτος ἐν*
βραχίονι αὐτοῦ, διεσκόρπισεν ὑπερηφάνους διανοίᾳ καρδίας
αὐτῶν. 52 *καθεῖλεν δυνάστας ἀπὸ θρόνων καὶ ὕψωσεν*
ταπεινούς, 53 *πεινῶντας ἐνέπλησεν ἀγαθῶν καὶ πλουτοῦντας*
ἐξαπέστειλεν κενούς· 54 *ἀντελάβετο Ἰσραὴλ παιδὸς αὐτοῦ,*
μνησθῆναι ἐλέους, 55 *καθὼς ἐλάλησεν πρὸς τοὺς πατέρας*
ἡμῶν, τῷ Ἀβραὰμ καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ εἰς τὸν αἰῶνα.“
56 *Ἔμεινεν δὲ Μαρία σὺν αὐτῇ μῆνας τρεῖς, καὶ ὑπέ-*
στρεψεν εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς. 57 *Τῇ δὲ Ἐλισάβετ ἐπλήσθη*
ὁ χρόνος τοῦ τεκεῖν αὐτήν, καὶ ἐγέννησεν υἱόν. 58 *καὶ*
ἤκουσαν οἱ περίοικοι καὶ οἱ συγγενεῖς αὐτῆς, ὅτι ἐμεγάλυνεν
κύριος τὸ ἔλεος αὐτοῦ μετ' αὐτῆς, καὶ συνέχαιρον αὐτῇ.
59 *καὶ ἐγένετο τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ, ἦλθαν περιτεμεῖν τὸ*
παιδίον, καὶ ἐκάλουν αὐτὸ ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς
αὐτοῦ Ζαχαρίαν. 60 *καὶ ἀποκριθεῖσα ἡ μήτηρ αὐτοῦ εἶπεν·*
„Οὐχί, ἀλλὰ κληθήσεται Ἰωάνης.“ 61 *καὶ εἶπαν πρὸς αὐτήν·*
„Οὐδείς ἐστιν ἐν τῇ συγγενείᾳ σου, ὃς καλεῖται τῷ ὀνόματι
τούτῳ.“ 62 *ἐνένευον δὲ τῷ πατρὶ αὐτοῦ, τὸ τί ἂν θέλοι*
καλεῖσθαι αὐτό. 63 *καὶ αἰτήσας πινακίδα ἔγραψεν· „Ἰωάνης*
ἐστὶν τὸ ὄνομα αὐτοῦ.“ 64 ΛΛ *παραχρῆμα δὲ ἐλύθη ἡ γλῶσσα*

1 *ἐπέβλ. κύριος* D | 1 sq. *τῆς δ. αὐτοῦ*] *μου* r ‖ 3 *μεγαλεῖα* ACD^{2}e al. | *ὁ θεὸς ὁ δυν.* D ‖ 4 sq. *γενεὰν* (*-ὰς* D^2) *γενεῶν* D; cf. Tschd. ‖ 7 *δυνάστας*] *potentiam impotentium* r ‖ 12 *Μαρία* D | *ὡς* (*ὡσεὶ*) post *αὐτῇ* om. Dabef^{2}g^{1}lq al. ‖ 13 *αὐτῆς*] add. c *magnificans deum* ‖ 15 alt. *οἱ* om. D^1 ‖ 17 *ἐν* ante *τῇ ἡμ.* om. DLe | *ἦλθαν* D^1 ‖ 18 *ἐπὶ* om. e ‖ 20 *κληθ.*] *τὸ ὄνομα αὐτοῦ* add. C^{1}D, cf. v. 63 ‖ 21 *ὅτι* ante *οὐδ.* om. it pler. s^1 | *ἐν τῇ σ-ᾳ* pro *ἐκ τῆς σ-ας* C^{2}D*Γ* it (sed om. *ἐν* . . *σου* f^2 pr.) v | *τὸ ὄνομα τοῦτο* D; cf. *τί* 22 ‖ 22 *τὸ τί*] *οτι ο* D (*quem* ab al. it v) ‖ 23 *αἰτήσας*] *λαβὼν* s. *δεξάμενος* (c. 2, 28) sec. acf^{2}r Ambros. | *πινακίδα* C^{1}D Origen: *-ίδιον* | *λέγων* post *ἔγρ.* om. Des^1 ‖ 24 *καὶ ἐθαύμασαν πάντες* transposui in v. 65 cum s^1, hab. plerique post *αὐτοῦ* v. 63, sed Dabg^1 post *ἡ γλ. αὐτοῦ* v. 64 | 24 sq. ita s^1, nisi quod *ὁ δεσμὸς τῆς γλώσσης αὐτοῦ* (Mc. 7, 35), cf. Orig. interpr. V, 117 L.; Dabg^1 *καὶ παρ. ἐλ. ἡ γλ. α.*, tum *καὶ ἐθ. π.* (v. s.), denique (ex *α* puto) *ἀνεῴχθη δὲ τὸ στόμα αὐτοῦ καὶ ἐλάλει εὐλογῶν τ. θ.* (r *καὶ ἐθ. π.*, *καὶ παραχρῆμα* . . *γλῶσσα α.*, *καὶ ἀν. τὸ στ. α.*, *καὶ ἐλ. κτἑ.*)

αὐτοῦ, καὶ ∧ *εὐλόγει τὸν θεόν.* **65** *καὶ ἐθαύμασαν πάν-*
τες, καὶ ἐγένετο φόβος ἐπὶ πάντας τοὺς περιοικοῦντας,
καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ὀρεινῇ τῆς Ἰουδαίας διελαλεῖτο τὰ ῥήματα
ταῦτα, **66** *καὶ ἔθεντο πάντες ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, λέ-*
γοντες· „Τί ἄρα τὸ παιδίον τοῦτο ἔσται; καὶ γὰρ χεὶρ
κυρίου μετ' αὐτοῦ.“ **67** *Καὶ Ζαχαρίας* ∧ *ἐπλήσθη πνεύματος*
ἁγίου καὶ εἶπεν· **68** *„Εὐλογητὸς* ∧ *ὁ θεὸς τοῦ Ἰσραήλ, ὅτι*
ἐπεσκέψατο καὶ ἐποίησεν λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ, **69** *καὶ*
ἤγειρεν κέρας σωτηρίας ἡμῖν ἐν οἴκῳ Δαυὶδ παιδὸς αὐτοῦ,
70 *καθὼς ἐλάλησεν διὰ στόματος ἁγίων προφητῶν αὐτοῦ*
τῶν ἀπ' αἰῶνος, **71** *σωτηρίαν ἐκ χειρὸς ἐχθρῶν ἡμῶν καὶ*
πάντων τῶν μισούντων ἡμᾶς, **72** *ποιῆσαι ἔλεος μετὰ τῶν*
πατέρων ἡμῶν καὶ μνησθῆναι διαθήκης ἁγίας αὐτοῦ,
73 *ὅρκον ὃν ὤμοσεν πρὸς Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν, τοῦ*
δοῦναι ἡμῖν **74** *ἀφόβως ἐκ χειρὸς ἐχθρῶν ῥυσθέντας λατρεύειν*
75 *ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ ἐνώπιον αὐτοῦ πάσας τὰς*
ἡμέρας ἡμῶν. **76** *καὶ σὺ δὲ παιδίον προφήτης ὑψίστου*
κληθήσῃ· προπορεύσῃ γὰρ πρὸ προσώπου κυρίου ἑτοιμάσαι
ὁδοὺς αὐτοῦ, **77** *τοῦ δοῦναι γνῶσιν σωτηρίας τῷ λαῷ αὐτοῦ,*
ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν αὐτῶν **78** *διὰ σπλάγχνα ἐλέους θεοῦ*
ἡμῶν, ἐν οἷς ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, **79** *ἐπι-*
φᾶναι τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις, τοῦ
κατευθῦναι τοὺς πόδας ἡμῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης.“ **80** *Τὸ*
δὲ παιδίον ηὐξάνετο καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι, καὶ ἦν

